

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Mavricii Havptii opvscvla

Haupt, Moriz

Lipsiae, 1875

Epicedion Drusi

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-5425](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-5425)

## EPICEDION DRUSI.

(Rector commilitonibus certamina eruditionis praepositis praemiis in annum  
MDCCL indicit. Lipsiae prid. kal. Nov. 1849).\*)

**E**legis quibus ignotus nobis poeta Liviam Augustam de morte Neronis Claudii Drusi aut consolatus est aut consolari se simulavit mirifice delectati sunt duo homines quorum magna est in his litteris claritas, Nicolaus Heinsius et Ludovicus Caspar Valckenarius. quorum ille 'poematium hoc' inquit 'quantivis pretii et dignum genio ac maiestate saeculi Nasoniani qui primus eruit e tenebris, nae ille insignem thesaurum usibus publicis est largitus.' de Valckenario haec narrat Petrus Henricus Koppiersius observatorum philologicorum capite XII, 'saepe mihi prae omnibus reliquis Latinis poematis quattuor ediscenda carmina commendavit L. C. V.' (ita enim, non 'L. V. C.', eum scripsisse adparet), 'in quibus ipsius esset iudicio Romana maiestas, Laberii prologum a Macrobio conservatum l. II Saturn. c. 7, Catulli carmen (LXIII) de nuptiis Pelei et Thetidis, incerti poetae consolationem ad Liviam Augustam super morte filii, sed hoc cum primis Propertii poema.' Propertii dicit nobilissimum carmen quod ultimum est libri quinti. consolationem autem illam et ante Heinsium fuerunt qui optimis carminibus adnumerarent et post Valckenarium multi magnis laudibus ornaverunt. quod cum saepe miratus essem desideraremque in translaticia laude iudicii subtilitatem et aegre ferrem praeclaris aequiparari quae meo sensu essent mediocria, coepi nuper in elegos illos inquirere accuratius, ut certis argumentis et rationibus cognoscerem quid de bonitate atque antiquitate eorum esset statuendum. nunc vero

\*) [Praeterquam quod errores nonnullos correxit Hauptius in exemplaribus quibusdam emendationes aliquot cum aliorum tum Bentlei adscripsit ipsis carminis versibus. cum vero quid probaret quid reiceret non significasset, ipsis verbis qualia olim dederat relictis in adnotatione omnia illa erant conlocanda.]

si ea quae pervestigando invenisse mihi videor publice proposuero, non puto me ab omnibus gratiam initurum esse: non nulli enim quae antiquitatis specie commendantur admirari malunt quam intellegere et dum superstitioni religionem praetendunt fidem et modestiam credulitate metiuntur. his non scribo, sed adulescentibus nihil huc praeiudicati adlaturis. eos enim qui poesin Latinam acri et subtili iudicio aestimare longo usu didicerunt, si carmen illud intentiore cura perlegissent, operam meam dudum praeversuros fuisse existimo.

Videbatur autem mihi lectorum commoditas eo esse adiuvanda ut carmen antequam disputare de eo instituerem totum hic adscriberem, praesertim cum ex aliquot eius versiculis librorum menda tollere oporteret. in quam rem praeter<sup>1</sup> vulgatiore exemplaria adhibere potui adminicula non multa, codicem manu scriptum unum, Dresdensem, de quo dixit F. A. Ebertus hist. bibl. Dresd. p. 274, tum exemplar operum Ovidii 'Impressum Veneciis per Bernardinum de Nouaria die xxvii. nouembris m.ccc.lxxxvi.' et alterum cuius haec subscriptio est, 'Publii Ovidii Nasonis Sulmonensis poetae Clarissimi Opera oia Venetiis diligentissime per Lazarum de Sauiliano Impressa sunt. Anno a natali Christiano. m.cccclxxxii. Calendis Aprilibus.' Dresdensem codicem *D* littera significavi, editionem Bernardini *Va* dixi, alteram Lazari *Vb*, utriusque consensum *V* littera notavi.

Visa diu felix, mater modo dicta Neronum,  
iam tibi dimidium nominis huius abest,  
iam legis in Drusum miserabile, Livia, carmen,  
unum qui dicat iam tibi 'mater' habes,  
5 nec tua te pietas distendit amore duorum,  
nec posito filii nomine dicis 'uter?'  
et quisquam leges audet tibi dicere flendi?  
et quisquam lacrimas temperat ore tuas?  
hei mihi, quam facile est (quamvis hic contigit omnes)  
10 alterius luctu fortia verba loqui.

P. OVIDI NASONIS AD LIVIAM DE MORTE DRUSI *D*, P. Ovidii Nasonis poetae consolatio ad Liviam Augustam de morte Drusi Neronis filii eius qui in Germania morbo periit *V*. 2. abest *DVb*: adest *Va*. 3. miserabile *D*: mirabile *V*. 5. se *Heinsius*. 9. quamvis *V*: cuicumque *D*. hic *Micyllus*: hoc *DV*.

- scilicet exiguo percussa es fulminis ictu,  
 fortior ut possis cladibus esse tuis.  
 occidit exemplum iuvenis venerabile morum:  
 maximus ille armis, maximus ille toga.
- 15 ille modo eripuit latebrosas hostibus Alpes  
 et titulum belli dux duce fratre tulit.  
 ille genus Suevos acre indomitosque Sicambros  
 contudit inque fugam barbara terga dedit  
 ignotumque tibi meruit, Romane, triumphum,
- 20 protulit in terras imperiumque novas.  
 solvere vota lovi fatorum ignara tuorum,  
 mater, et armiferae solvere vota deae  
 Gradivumque patrem donis implere parabas  
 et quoscumque coli iusque piumque deos,<sup>1</sup> 3
- 25 maternaque sacros agitabas mente triumphos,  
 forsitan et curae iam tibi currus erat.  
 funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis  
 et tumulus Drusum pro Iovis arce manet.  
 fingebas reducem praeceptaque mente fovebas
- 30 gaudia et ante oculos iam tibi victor erat.  
 iam veniet, iam me gratantem turba videbit,  
 iam mihi pro Druso dona ferenda meo.  
 obvia progrediar felixque per oppida dicar  
 collaque et os oculosque illius ore premam.
- 35 talis erit, sic occurret, sic oscula iunget,  
 hoc mihi narrabit, sic prior ipsa loquar.  
 gaudia vana foves. spem pone, miserrima, falsam;  
 desine de Druso laeta referre tuo.  
 Caesaris illud opus, voti pars altera vestri,
- 40 occidit. indignas, Livia, solve comas.  
 quid tibi nunc mores prosunt actumque pudice  
 omne aevum et tanto tam placuisse viro,

14. es *DVB*: est *Va* et ante *rasuram D*. 43. memorabile *Mediceus*  
*Heinsii*. 29. praeceptaque *Scaliger*: perceptaque *DV*. 34. os ocu-  
 losque *D*: os oculos *Vb*, osque oculos *Va*. 37. vana quis primus po-  
 suerit nescio; nam quod *Heinsius* ait postremam *Aldi* editionem id habere, fal-  
 litur, si exemplar anni *MDXXXIII* dicit: magna *DV*. 39. voti *Heinsius*:  
 veluti *DV*. 44. pudice *DV*: decore *Peerlkampius* ad *Verg. Aen. t. I p. 254*.  
 42. tam primus, nisi fallor, *Heinsius*: iam *DV*.

- quodque pudicitia est tantum inviolata bonorum,  
ultima sit laudes inter ut illa tuas?
- 45 quid tenuisse animum contra sua saecula rectum,  
altius et vitiis exeruisse caput,  
nec nocuisse ulli et fortunam habuisse nocendi,  
nec quemquam nervos extimuisse tuos,  
nec vires errasse tuas campoque foroque
- 50 quamque libet citra constituisse domum?  
nempe per hos etiam Fortunae iniuria mores  
regnat et incerta est hic quoque nixa rota;  
hic quoque sentitur, ne quid non improba carpat  
saevit et iniustum ius sibi ubique facit.
- 55 scilicet immunis si luctus una fuisset  
4 Livia, Fortunae regna minora forent?<sup>1</sup>  
quid si non habitu sic se gessisset in omni  
ut sua non essent invidiosa bona?  
Caesaris adde domum, quae certe, funeris expers,
- 60 debuit humanis altior esse malis.  
ille vigil, summa sacer ipse locatus in arce,  
res hominum ex tuto cernere dignus erat,  
nec fleri ipse suis nec quemquam flere suorum  
nec quae nos patimur vulgus et ipse pati.
- 65 vidimus erepta maerentem stirpe sororis:  
luctus ut in Druso publicus ille fuit.  
condidit Agrippam quo te, Marcelle, sepulcro,  
et cepit generos iam locus ille duos.  
vix posito Agrippa tumuli bene ianua clausa est,
- 70 percipit officium funeris ecce soror.  
ecce ter ante datis iactura novissima Drusus  
a magno lacrimas Caesare quartus habet.  
claudite iam, Parcae, nimium reserata sepulcra,  
claudite: plus iusto iam domus ista patet.
- 75 cedis et incassum tua nomina, Druse, levantur:

43. quodque p. est *D*: quidque pudicitia *V*. bonarum *D*. suspicor  
quodque pudicitia est tantum cumalata bonorum. quidque pudicitiae fama  
inviolata, *Peerlkampius*. 50. libet *Heinsius*: licet *DV*. 53. neu *Hein-*  
*sius*. 64. sacer ille *Heinsius*. 70. percipit *Lipsius*: libri perficit.  
74. datas *Bentleius*. 73. reserare *D*. 74. parcite plus *D*. 75. caedis  
*DV*. in longum *D*. numina *D*.

- ultima sit fati haec summa querella tui.  
 iste potest implere dolor vel saecula tota  
 et magni luctus obtinuisse locum.  
 multi in te amissi, nec cui tot turba bonorum,  
 80 omnis cui virtus contigit, unus eras.  
 nec genetrice tua fecundior ulla parentum,  
 tot bona per partus quae dedit una duos.  
 heu, par illud ubi est totidem virtutibus aequum  
 et concors pietas nec dubitatus amor?  
 85 vidimus attonitum fraterna morte Neronem  
 pallida promissa flere per ora coma  
 dissimilemque sui vultu profitente dolorem.  
 hei mihi, quam toto luctus in ore fuit.<sup>1</sup> 5  
 tu tamen extremo moriturum tempore fratrem  
 90 vidisti, lacrimas vidit et ille tuas  
 adfigique suis moriens tua pectora sensit  
 et tenuit vultu lumina fixa tuo,  
 lumina caerulea iam iamque natantia morte,  
 lumina fraternas iam subitura manus.  
 95 at miseranda parens suprema neque oscula fixit,  
 frigida nec fovit membra tremente sinu.  
 non animam adposito fugientem exceptit hiatu  
 nec traxit caesas per tua membra comas.  
 raptus es absenti, dum te fera bella morantur,  
 100 utilior patriae quam tibi, Druse, tuae.  
 liquitur ut quondam Zephyris et solibus ictae  
 solvuntur tenerae vere tepente nives.  
 te queritur casusque malos irrisaque tales

78. magnum D. 79. cui tot turba 'tres scripti cum veterissima editione' Heinsius: tu tot turba D, tu tot verba V. 86. squallida Heinsius.

87. dissimilemque sui: cf. Bentley ad Hor. serm. 2, 5, 404. 88. ore Rutgersius: libri orbe. 93. iam iamque V: iam tum D. natantia Pithoeus: libri nutantia. mortem ante rasuram D. 95. et pr. D. fixit Vb: figit Va, sumpsit D. 96. fovit Micyllus: libri movit. 98. caesas Mediceus Heinsii: caecas DV. per V: in D. 101. zephyrus Vb.

103. quod dedi habent V. casusque etiam derisa malignos interpolatum in D et Combiano. casusque malos irrisaque vota Heinsius. atque irrita vota Bentley. incisaque fila Withofus misc. obs. nov. 4 p. 121. possis casusque malos atque irrita tura, ut est met. 7, 589, ep. ex P. 2, 9, 28: sed nihil certi adsequor.

- accusatque annos ut diuturna suos.
- 405 talis in umbrosis, mitis nunc denique, silvis  
deflet Threicium Daulias ales Ityn:  
Halcyonum tales ventosa per aequora questus  
ad surdas tenui voce sonantur aquas:  
sic plumosa novis plangentes pectora pennis
- 410 Oeniden subitae concinuistis aves:  
sic flevit Clymene, sic et Clymeneides, alte  
cum iuvenis patriis excidit ictus equis.  
congelat interdum lacrimas duratque tenetque  
suspensasque oculus fortior intus agit:
- 415 erumpunt iterumque gravant gremiumque sinusque,  
effusae gravidis uberibusque genis.  
in vires abiit flendi mora: plenior unda  
defluit, exigua siqua retenta mora.  
tandem ubi per lacrimas licuit, sic flebilis orsa est,
- 420 singultu medios impediēte sonos.  
'nate, brevis fructus, duplicis sors altera partus  
gloria confectae, nate, parentis, ubi es?  
sed neque iam duplicis nec iam sors altera, partus,  
gloria confectae nunc quoque matris, ubi es?
- 425 heu, modo tantus, ubi es? tumulo portaris et igni.  
haec sunt in reditus dona paranda tuos?  
sicine dignus eras oculis occurrere matris?  
sic ego te reducem digna videre fui?  
Caesaris uxori si talia dicere fas est,
- 430 iam dubito, magnos an rear esse deos.  
nam quid ego admisi? quae non ego numina cultu,  
quos ego non potui demeruisse deos?  
hic pietatis honos? artus complector inanis  
et vorat hos ipsos flamma rogosque sinus.

404. accusantque V.      406. itym DV.      409. plangentis V.  
410. Oenidem DV.      411. climeneidos Va, clymenidos Vb. alte libri  
scripti Heinsii: altae DV. udae Bentleius.      412. decidit D.      414. oculus  
Heinsius: oculis DVa, oculit Vb.      intus Heinsius: libri ictus.      415. gremiumque  
Naugerius, puto: gemitumque DV.      419. sic Naugerius, puto:  
sed DV.      422. conspectae Bentleius.      422. 423. om D.      425. qui  
modo tantus eras D.      humido Vb.      431. quae ego non Va.      434. et  
vorat Heinsius: evocat DV.      sinus Combianus Heinsii et margo D: suus DV.

- 135 tene ego sustineo positum scelerata videre?  
       tene meae poterunt ungere, nate, manus?  
 nunc ego te infelix summum teneoque tuosque  
       effingoque manus oraque ad ora fero?  
 nunc primum aspiceris consul victorque parenti?  
 140 sic mihi sic miserae nomina tanta refers?  
 quos primum vidi fasces, in funere vidi,  
       et vidi eversos indiciumque mali.  
 quis credat? matri lux haec durissima venit  
       qua natum in summo vidit honore suum.  
 145 iamne ego non felix? iam pars mihi rapta Neronum,  
       materni celebrer nomine Drusus avi?  
 iamne meus non est nec me facit ille parentem?  
       iamne fui Drusi mater et ipse fuit,<sup>1</sup>  
 nec cum victorem referetur adesse Neronem,  
 150 dicere iam potero "maior an alter adest?"  
 ultima contigimus. ius matris habemus ab uno,  
       unius est munus quod tamen orba negor.  
 me miseram. extimui frigusque per ossa cucurrit.  
       nil ego iam possum certa vocare meum.  
 155 hic meus ecce fuit: iubet hic de fratre vereri:  
       omnia iam metuo: fortior ante fui.  
 sospite te saltem moriar, Nero: tu mea condas  
       lumina et excipias hanc animam ore pio.  
 atque utinam Drusi manus altera et altera fratris  
 160 formarent oculos comprimerentque meos.  
 quod licet, hoc certe tumulo ponemur in uno,  
       Druse, neque ad veteres conditus ibis avos.  
 miscebor cinerique cinis atque ossibus ossa.  
       hanc lucem celeri turbine Parca neat.<sup>7</sup>  
 165 haec et plura refert. lacrimae sua verba sequuntur  
       oraque nequiquam per modo questa fluunt.  
 quin etiam corpus matri vix vixque remissum

438. effingoque *veteres editiones habere Heinsius dicit*: affigoque DV.

441. quos *Combianus Heinsii et D*: quo V. 443. durissima *Heinsius*:  
 carissima DVa, charissima Vb. moestissima *Heinsius postremae Aldi tribuit*:  
 sed *Aldina anni MDXXXIII carissima habet*. 449. referatur V.

455. iubet hinc Vb. 463. cinis DVa: cini Vb. atque V: simul D.

466. per V: sic D. 467. vix vixque V: tibi iure D.

- exequis caruit, Livia, paene suis.  
 quippe ducem arsuris exercitus omnis in armis  
 170 inter quae periit ponere certus erat:  
 abstulit invitis corpus venerabile frater  
 et Drusum patriae quod licuitque dedit.  
 funera ducuntur Romana per oppida Drusi,  
 (heu facinus) per quae victor iturus erat,  
 175 per quae deletis Raetorum venerat armis.  
 hei mihi, quam dispar huic fuit illud iter.  
 consul init fractis maerentem fascibus urbem:  
 quid faceret victus, sic ubi victor init?  
 maesta domus plangore sonat, cui figere laetus  
 s 180 parta sua dominus voverat arma manu!  
 urbs gemit et vultum miserabilis induit unum:  
 gentibus adversis forma sit illa, precor.  
 incerti clauduntque domos strepitantque per urbem,  
 hic illic pavidi clamque palamque dolent.  
 185 iura silent mutaeque tacent sine vindice leges;  
 aspicitur toto purpura nulla foro.  
 dique latent templis neque iniqua ad funera vultus  
 praebent nec poscunt tura ferenda rogo:  
 obscuros delubra tenent; pudet ora colentum  
 190 aspicere invidiae quam meruere metu.  
 atque aliquis de plebe pius pro paupere nato  
 sustulerat timidus sidera ad alta manus,  
 iamque precaturus 'quid ego autem credulus' inquit  
 'suscipiam in nullos irrita vota deos?'  
 195 Livia non illos pro Druso Livia movit:  
 nos erimus magno maxima cura Iovi?  
 dixit et iratus vota insuscepta reliquit  
 duravitque animum destituitque preces.  
 obvia turba ruit lacrimisque rigantibus ora  
 200 consulis erepti publica damna refert.  
 omnibus idem oculi, par est concordia flendi:

170. inter quae periit *Rutgersius*: inter quaeque ruit *V*, inter quaeque  
 ruens *D*. 172. patriae *D et Combianus*: prime *V*. 175. perque *V*.  
 rhetorum *V*, rectorum *D*. 177. consul init *D*: consuluit *V*. 178. q. f.  
 victus: qui modo victor erat *D*. 180. noverat *V*. 189. colentem *Va*.  
 193. autem *DVb*: aut *Va*.

- funeris exequiis adsumus omnis eques,  
 omnis adest aetas, maerent iuvenesque senesque,  
 Ausoniae matres Ausoniaeque nurus.
- 205 auctorisque sui praefertur imagine maesta  
 quae victrix templis debita laurus erat.  
 certat onus lecti generosa subire iuventus  
 et studet officio sedula colla dare.  
 et voce et lacrimis laudasti, Caesar, alumnum,
- 210 tristia cum medius rumperet orsa dolor.  
 tu letum optasti, dis aversantibus omen,  
 par tibi, si sinerent te tua fata mori.  
 sed tibi debetur caelum, te fulmine pollens  
 accipiet cupidi regia magna Iovis.<sup>1</sup>
- 215 quod petiit tulit ille, tibi ut sua facta placerent,  
 magnaue laudatus praemia mortis habet.  
 armataeque rogum celebrant de more cohortes  
 ac pedes exequias reddit equesque duci.  
 te clamore vocant iterumque iterumque supremo:
- 220 at vox adversis collibus icta redit.  
 ipse pater flavis Tiberinus adhorruit undis,  
 sustulit et medio nubilus amne caput.  
 tum salice implexum muscoque et arundine crinem  
 caeruleum magna legit ab ore manu
- 225 uberibusque oculis lacrimarum flumina misit:  
 vix capit adiectas alveus altus aquas.  
 iamque rogi flammam extingueret fluminis ietu,  
 corpus et intactum tollere certus erat;  
 sustentabat aquas cursusque inhibebat equorum,
- 230 ut posset toto proluere amne rogum.  
 sed Mavors, templo vicinus et accola campi,  
 tot dixit siccis verba neque ipse genis.

207. lecti *vetus liber Heinsii et Naugerius*: luctu DV. 210. orsa  
*Naugerius*, *puto*: ossa V et duo *Heinsii*, ora D et alii duo *Heinsii*.  
 214. aversantibus *Naugerius*, *puto*: aversantibus DV. 215. tulit *codex*  
*Heinsii et Naugerius*: vult DV. 218. ac *Pithoeus*: al D et *Combianus*,  
 ast V et alii. 221. adhorruit V: abhorruit D et tres *Heinsii*, inhorruit  
 unus *Heinsii et Naugerius*. 222. sustulit et 'priscæ editiones cum *Naugerio*  
*Heinsii*: sustulit e V, et tulit e D et *Combianus*, extulit et *Heinsius*.  
 nubibus V. 223. amplexum D. 224. caeruleo *Micyllus cum margine*  
*Gryphiana*.

- 'quamquam amnes decet ira, tamen, Tiberine, quiescas:  
 non tibi, non ullis vincere fata datur.  
 235 iste meus periit, periit arma inter et enses  
 et dux pro patria: funere causa patet.  
 quod potui tribuisse, dedi: victoria parta est:  
 auctor abit operis, sed tamen extat opus.  
 quondam ego temptavi Clothoque duasque sorores,  
 240 pollice quae certo pensa severa trahunt,  
 ut Remus Iliades et frater conditor urbis  
 effugerent aliqua stagna profunda via.  
 de tribus una mihi "partem accipe quae datur" inquit  
 10 "muneris. ex istis quod petis alter erit."  
 245 hic tibi, mox Veneri Caesar promissus uterque:  
 hos debet solos Martia Roma deos."  
 sic cecinere deae, nec tu, Tiberine, repugna  
 irritae nec flammis amne morare tuo  
 nec iuvenis positi supremos destrue honores.  
 250 vade age et immissis labere pronus aquis.  
 paret et in longum spatiosas explicat undas  
 structaque pendenti pumice tecta subit.  
 flamma diu cunctata caput contingere sanctum  
 erravit posito lenta sub usque toro.  
 255 tandem ubi complexa est silvas alimenta sumpsit,  
 aethera subiectis lambit et astra comis,  
 qualis in Herculeae colluxit collibus Oetae,  
 cum sunt imposito membra cremata deo.  
 uritur heu decor ille viri generosaque forma  
 260 et faciles vultus, uritur ille vigor  
 victricesque manus facundaque principis ora  
 pectoraque, ingenii magna capaxque domus.  
 spes quoque multorum flammis uruntur in isdem:  
 iste rogus miserae viscera matris habet.  
 265 facta ducis vivent operosaque gloria rerum:

234. non nullis *Va.* 235. periit perique *Vb.* 236. funera causa  
 latet *DV: emendavit Cuperus.* 240. polliceque *V,* impia quae *D.* pensa  
 severa *V: pollice pensa D.* 248. irritae *Naugerius: irrita DV.*  
 250. admissis quis primus posuerit *nescio.* 252. strictaque *V.* 254. sub  
*Naugerius, puto: sibi DV.* 256. subiectis *Bentleius.* 260. faciles  
 'vetustae editiones' *Heinsius: facilis DV.*

- haec manet, haec avidos effugit una rogos.  
 pars erit historiae totoque legetur in aevo  
 seque opus ingeniis carminibusque dabit.  
 stabis et in rostris tituli speciosus honore  
 270 causaque dicemur nos tibi, Druse, necis.  
 at tibi ius veniae superest, Germania, nullum:  
 postmodo tu poenas, barbare, morte dabis.  
 aspiciam regum liventia colla catenis  
 duraque per saevas vincula nexa manus  
 275 et tandem trepidos vultus inque illa ferocum  
 invitis lacrimas decidere ora genis.  
 spiritus ille minax et Drusi morte superbus  
 carnifici in maesto carcere dandus erit.<sup>1</sup>  
 consistam lentisque oculis laetusque videbo  
 280 strata per obscenas corpora nuda vias.  
 hunc Aurora diem spectacula tanta ferentem  
 quam primum croceis rosida portet equis.  
 adice Ledaeos, concordia sidera, fratres  
 templaque Romano conspicienda foro.  
 285 quam parvo numeros implevit principis aevo,  
 in patriam meritis occubuitque senex.  
 nec sua conspiciet (miserum me) munera Drusus  
 nec sua prae templi nomina fronte leget.  
 saepe Nero illacrimans submissa voce loquetur  
 290 'cur adeo fratres heu sine fratre deos?'  
 certus eras numquam nisi victor, Druse, reverti.  
 haec te debuerant tempora: victor eras.  
 consule nos, duce nos, duce iam victore caremus:  
 invenit en tota maeror in urbe locum.  
 295 at comitum squallent immissis ora capillis:  
 infelix, Druso sed pia turba suo.  
 quorum aliquis tendens in te sua brachia dixit  
 'cur sine me, cur sic in comitatus abis?'  
 quid referam de te, dignissima coniuge Druso  
 300 atque eadem Drusi digna parente nurus?

276. ore *Va.* 279. lentisque *Heinsius: libri laetisque.* 282. ro-  
 scida *D.* 287. non sua *Vb.* 288. pro unus *Heinsii.* 289. illa-  
 chrymas *Vb.* in lachrymas *Va.* lacrymas *D.* 294. en *Heinsius: in V,*  
 et *Mediceus Heinsii, om D.* 299. bruto *D.*

- par bene compositum: iuvenum fortissimus alter,  
 altera tam forti mutua cura viro.  
 femina tu princeps, tu filia Caesaris illi  
 nec minor es magni coniuge visa Iovis.  
 305 tu concessus amor, tu solus et ultimus illi,  
 tu requies fesso grata laboris eras.  
 te moriens per verba novissima questus abesse  
 et mota in nomen frigida lingua tuum.  
 infelix recipis non quem promiserat ipse,  
 12310 nec qui missus erat, nec tuus ille redit,<sup>1</sup>  
 nec tibi deletos poterit narrare Sicambros,  
 ensibus et Suevos terga dedisse suis  
 fluminaque et montes et nomina magna locorum  
 et siquid miri vidit in orbe novo.  
 315 frigidus ille tibi corpusque refertur inane,  
 quemque premat sine te sternitur ecce torus.  
 quo raperis laniata comas similisque furenti?  
 quo ruis? attonita quid petis ora manu?  
 hoc fuit Andromache, cum vir religatus ad axem  
 320 terruit admissos sanguinolentus equos.  
 hoc fuit Euadne tunc cum ferienda coruseis  
 fulminibus Capaneus impavida ora dedit.  
 quid mortem tibi maesta rogas amplexaque natos  
 pignora de Druso sola relicta tenes  
 325 et modo per somnos agitaris imagine falsa  
 teque tuo Drusum credis habere sinu  
 et subito temptasque manu sperasque receptum,  
 quaeris et in vacui parte priore tori?  
 ille pio, si non temere haec creduntur, in arvo  
 330 inter honoratos excipietur avos,  
 magnaue maternis maioribus, aequa paternis  
 gloria quadriiugis aureus ibit equis,  
 regalique habitu curruque superbus eburno  
 fronde triumphali tempora vinctus erit.  
 335 accipient iuvenem Germanica signa ferentem,  
 consulis imperio conspicuumque decus.

302. tam *Heinsius*: libri iam.      304. visa *D*: iussa *V*.      307. pro  
 verba *Va*.      308. et motam n *Va*.      349. axem *Heinsius*.      329. auro *Va*.

- gaudebuntque suae merito cognomine gentis,  
 quod solum domito victor ab hoste tulit.  
 vix credent tantum rerum cepisse tot annos,  
 340 magna rati latum quaerere facta locum.  
 haec ipsum sublime ferent, haec, optima mater,  
 debuerant luctus attenuare tuos.  
 femina digna illis quos aurea condidit aetas,  
 principibus natis, principe digna viro,<sup>1</sup>  
 345 quid deceat Drusi matrem matremque Neronis  
 aspice, quo surgas aspice mane toro.  
 non eadem vulgusque decent et lumina rerum:  
 est quod praecipuum debeat ista domus.  
 imposuit te alto Fortuna locumque tueri  
 350 iussit honoratum: Livia, perfer onus.  
 ad te oculos auresque trahis, tua facta notamus,  
 nec vox missa potest principis ore legi.  
 alta mane supraque tuos exurge dolores  
 infragilemque animum quo potes usque tene.  
 355 an melius per te virtutum exempla petemus  
 quam si Romanae principis edis opus?  
 fata manent omnis, omnis expectat avarus  
 portitor et turbae vix satis una ratis.  
 tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,  
 360 omnia sub leges mors vocat atra suas.  
 ecce necem intentam caelo terraeque fretoque  
 casurumque triplex vaticinantur opus.  
 i nunc et rebus tanta impendente ruina  
 in te solam oculos et tua damna refer.  
 365 maximus ille quidem iuvenum spes publica vixit  
 et qua natus erat gloria summa domus:  
 sed mortalis erat nec tu secura fuisti

338. solus *vetus liber Heinsii.* 340. rati *ego: libri viri.*  
 343. prodidit *Ruhnkenius ad Vell. 1, 3.* 347. decent *V: petunt D.*  
 culmina *Scaligerum coniecisse Francius notavit.* 349. alto *V: alle D.*  
 tueri *D et Combianus: teneri V.* 354. quo *V: quod D.* 361. in-  
 tentant *Bentleius et post eum Peerlkampius ad Verg. Aen. 1. I p. 20.*  
 362. casurumque *primus, puto, Heinsius: libri casurum.* vaticinantur  
*Heinsius: libri vaticinatur.* 366. quantus erat *vestrae gl. D.*  
 367. erat *D: erit V.*

- fortia progenie bella gerente tua.  
 vita data est utenda, data est sine fenore nobis  
 370 mutua nec certa persoluenda die.  
 Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis:  
 illa rapit iuvenes, sustinet illa senes,  
 quaque ruit furibunda ruit totumque per orbem  
 fulminat et caecis caeca triumphat equis.  
 375 regna deae immitis parce irritare querendo,  
 14 sollicitare animos parce potentis herae.<sup>1</sup>  
 quae tamen hoc uno tristis tibi tempore venit,  
 saepe eadem rebus favit amica tuis.  
 nata quod alte es quodque es fetibus aucta duobus,  
 380 quodque etiam magno consociata Iovi,  
 quod semper domito rediit tibi Caesar ab orbe,  
 gestat et invicta prospera bella manu,  
 quod spes implerunt maternaque vota Neronis,  
 quod pulsus totiens hostis utroque duce  
 385 (Rhenus et Alpinae valles et sanguine nigro  
 decolor infecta testis Isargus aqua,  
 Danubiusque rapax et Dacius orbe remoto  
 Appulus (huic hosti perbreve Pontus iter)  
 Armeniusque fugax et tandem Dalmata supplex  
 390 summaque dispersi per iuga Pannonii  
 et modo Germanus Romanis cognitus orbis):  
 aspice quot meritis culpa sit una minor.  
 adde quod est absens functus nec cernere nati  
 semineces oculos sustinuerunt tui,

369. Cicero Tusc. 1. 39 (93) *pellantur ergo istae ineptiae paene aniles, ante tempus mori miserum esse. quod tandem tempus? at ea quidem dedit usuram vitae tamquam pecuniae, nulla praestituta die.* 371. *iniquis Heinsius: inique D, ubique V.* 379. *alte es quodque es in rasura D. veteres non nullae editiones habere videntur nata quod es alte quod f. meae habent quod posui, quamvis incertissimum sit. nata quod ex alto, quod f. Naugerius, nata quod en alte es, quod f. Heinsius.* 382. *gessit nescio a quo inventum. gestat — tela Heinsius.* 385. *Oenus Heinsius.* 386. *Isargus Caspar Zeussius: libri itargus.* 387. *rapax D et Combianus: capax V.* 388. *perbreve Micyllus: per breve DV.* 391. *Germanus Mediceus Heinsii: germani DV.* 392. *quot Heinsius: libri quam.* 393. *functus DV Mediceus Combianus: foetus reliqui duo Heinsii codices.*

- 395 qui dolor et menti lenissimus influit aegrae,  
accipere es luctus aure coacta tuos,  
praevertitque metus per longa pericula luctum,  
tu quibus auditis anxia mentis eras.  
non ex praecipiti dolor in tua pectora venit,  
400 sed per mollitos ante timore gradus.  
Iuppiter ante dedit fati mala signa eruenti,  
flammifera petiit cum sua templa manu  
Iunonisque gravi nocte impavidaeque Minervae,  
sanctaque et immensi Caesaris icta domus.<sup>1</sup> 15
- 405 sidera quin etiam caelo fugisse feruntur,  
Lucifer et solitas destituisse vias:  
Lucifer in toto nulli comparuit orbe  
et venit stella non praeunte dies.  
sideris hoc obitus terris instare monebat  
410 et mergi Stygia nobile numen aqua.  
at tu qui superes maestae solacia matri,  
comprecor, illi ipsi conspiciare senex  
perque annos diuturnus eas fratrisque tuosque  
et vivat nato cum sene mater anus.
- 415 eventura precor: deus excusare priora  
dum volet, a Druso cetera laeta dabit.  
tu tamen ausa potes tanto indulgere dolori,  
longius ut nolis heu male fortis ali.  
vix etiam fueras paucas vitalis in horas,  
420 obtulit invitae cum tibi Caesar opem  
admovitque preces et ius immiscuit illis  
aridaque adfusa guttura tinxit aqua.  
nec minor est nato servandae cura parentis:  
hic adhibet blandas, nec sine iure, preces.
- 425 coniugis et nati meritum pervenit ad omnes;  
coniugis et nati, Livia, sospes ope es.

395. quique dolor menti 'vetustae editiones' Heinsius. leuissimus Va.

396. accipere es D: acciperes V. 402. sua Cuperus: tua in co-

dicibus esse testatur Heinsius, tria DV. 403. Iunonisque V: Iunonis D.

gravi nocte V: gravis notae D et Combianus, gradus note 'primae edi-  
tiones' Heinsius. 404. et immensi V: divini D. domus Naugerius:

manus DV. 445. et ventura V. 449. vix etiam V: quin etiam D  
et Combianus.

- supprime iam lacrimas: non est revocabilis istis  
 quem semel umbrifera navita lintre tulit.  
 Hectora tot fratres, tot desseverare sorores  
 430 et pater et coniunx Astyanaxque puer  
 et longaeva parens: tamen ille redemptus ad ignes  
 nullaque per Stygias umbra renavit aquas.  
 contigit hoc etiam Thetidi: populator Achilles  
 Iliaca ambustis ossibus arva premit.  
 435 illi caeruleum Panope matertera crinem  
 solvit et immensas fletibus auxit aquas,  
 consortesque deae centum longaevaque magni  
 46 Oceani coniunx Oceanusque pater<sup>1</sup>  
 et Thetis ante omnes: sed nec Thetis ipsa neque omnes  
 440 mutarunt avidi tristitia iura dei.  
 prisca quid huc repeto? Marcellum Octavia flevit  
 et flevit populo Caesar utrumque palam.  
 sed rigidum ius est et inevitabile mortis,  
 stant rata non ulla fila renenda manu.  
 445 ipse tibi emissus nebulosi litore Averni,  
 si liceat, forti verba tot ore sonet.  
 'quid numeras annos? vixi maturior annis:  
 acta senem faciunt: haec numeranda tibi,  
 his aevum fuit implendum, non segnibus annis:  
 450 hostibus eveniat longa senecta meis.  
 hoc atavi monuere mei proavique Neronēs  
 (fregerunt ambo Punica bella duces),  
 hoc domus ista docet per te mea Caesaris alti:  
 exitus hic, mater, debuit esse meus.  
 455 nec meritis (quamquam illa iuvant magis) affuit illis,  
 mater, honos: titulis nomina plena vides.  
 consul et ignoti victor Germanicus orbis  
 (cui fuit heu mortis publica causa) legor.  
 cingor Apollinea victricia tempora lauro

439. nec omnes D. 441. haec *Mediceus Heinsii*. 444. tenenda  
*libri: emendavit Salmasius*. 445. nebulosi litore *Heinsius*: nebulosi in  
 litore D et *Mediceus Combianusque*, nebulosum littus Va, nebulosum ad lit-  
 tus Vb. 450. meis *Heinsius et, ut idem ait, Scaliger: libri metu*.  
 455. quamquam I. F. *Gronovius: libri quicquam*. affuit *Gronovius*: affuit  
 DVa, affluit Vb et *codex Romanus Heinsii*. 458. cui *Lipsius: libri qui*.

- 460 et sensi exequias funeris ipse mei,  
 decursusque virum notos mihi donaque regum  
 cunctaque per titulos oppida lecta suos,  
 et quo me officio portaverit illa iuventus  
 quae fuit ante meum tam generosa torum.
- 465 denique laudari saceratis Caesaris ore  
 emerui, laerimas elicuique deo.  
 et cuiquam miserandus ero? iam comprime fletus.  
 hoc ego qui flendi sum tibi causa rogo.  
 haec sentit Drusus, si quid modo sentit in umbra,
- 470 nec tu de tanto crede minora viro.<sup>1</sup> 17  
 est tibi, sitque precor, multorum filius instar,  
 parsque tui partus sit tibi salva prior:  
 est coniunx, tutela hominum, quo sospite vestram,  
 Livia, funestam dedecet esse domum.

Hoc igitur carmen cum in antiquioribus exemplaribus P. Ovidio Nasoni attributum esset, Iosephus Scaliger C. Pedoni Albinovano adscripsit multosque in hanc sententiam perduxit, non argumentorum probabilitate, sed nominis sui splendore mentis aciem quasi praestringens obsequentibus. argumenta enim si requiris, nulla plane adparent. sed cum meminisset Scaliger ab Annaeo Seneca in prima suasoria ex epico Pedonis carmine versus adferri sane quam luculentos qui ad navigatum a Drusi filio Oceanum pertinent, continuo commentus est C. Pedonem, quem simul cum Celso Albinovano, scriba Tiberii, confudit, Drusorum familiae clientem fuisse et utrumque Germanicum carminibus celebrasse. usus est igitur vir gravissimus in hac causa eadem opinandi levitate qua in hoc coniecturali disputationum genere saepius lapsus est. etenim diras, quod carmen dubitari nequit quin scriptum sit anno ab u. c. DCCXIII, Sullano tempore a Valerio Catone factas esse sumpsit; quem errorem diu durasse non tam miror quam ne Naekium quidem, hominem valde acutum et nimium paene in omnibus rebus momento suo ponderandis, veritatem perspexisse. simili confidentia idem Scaliger Aetnam carmen esse pronuntiavit Cornelii Severi, non aliam ob causam quam quod L. Seneca in epistula ad Lucilium LXXVIII

466. emerui *Mediceus Heinsii*: et merui *DVb*, et moerui *Va*.

de Aetna, \*sollemni omnibus poetis loco, haec scribit, *quem quo minus Ovidius tractaret nihil obstitit quod iam Vergilius inpleverat: ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit.* sed Cornelium consentaneum est descripsisse Aetnam in libris belli Siculi, illud autem quod habemus carmen Augusti aetate scriptum esse non potest. quamquam ne Wernsdorfii quidem Lucilio Iuniori hoc poema tribuentis opinionem scita sane Friderici Jacobi, egregii viri, argumentatione confirmatam esse existimo. nam Lucilius, si fecit quod eum facturum esse Seneca in ea quam commemoravi epistula suspicatur, descripsit quidem Aetnam, sed ut attingeret eam in maiore carmine; illa autem quam habemus Aetnae descriptio non particula carminis est, verum ipsa integrum poema. sed ut ad Pedonem revertar, iniuriam Scaliger huic poetae fecit cum ab eo non tantum epicedion Drusi profectum esse statuit, sed elegos quoque in Maecenatis mortem scriptos. inductus esse videtur eo quod in his elegis versuum non nullorum aliquam esse videbat cum consolatione Liviae similitudinem; de qua re postea dicemus accuratius: dissimilitudinem totius poematis ipse intellexit, sed eo explicare conatus est ut diceret Pedonem Maecenatem, mollem virum et discinctum, 48 remisso stilo prose<sup>1</sup>cutum esse, principem vero matronam accuratior et graviore dicendi genere adloqui. verum hanc quidem Scaligeri opinionem plerique merito inprobaverunt. nam scholastici versificatoris ineptiae indignae sunt eo saeculo quo Pedro vixit, nec potest eas idem homo scripsisse qui Drusi epicedion, carmen multo melius, composuit.

Melius carmen dixi epicedion Drusi, non per se optimum. nam ut multa contineat quae in vituperationem adduci non possint, tamen et pauca ad modum agnosco quae ex probabili quadam mediocritate altius emergant et aequabilem constantemque artem desidero. non persequar quae mihi displicent singularim omnia, ne, ut fieri solet, vituperando exiliter ad exiles excusationes carminis amatores provocem; sed insignia vitia breviter demonstrabo.

Ac primum quidem in conectendis inter se cogitationibus aliquotiens magna poetae negligentia deprehenditur. veluti postquam Drusum a scriptoribus poetisque celebratum iri statuaturque honorem adepturum esse dixit, subito idque loco non aptissimo in Germanos invehitur. hoc si fortasse excuses, at illud

minus excusari potest quod post duodecim versiculos sine arte atque elegantia ad priora revertitur hoc modo (v. 283), *adice Ledaeos, concordia sidera, fratres templaque Romano conspicienda foro*: neque optime adnexa sunt quae tum sequuntur. maior etiam negligentia invenitur v. 341. adlocutus erat poeta inde a v. 299 Antoniam, uxorem Drusi; laudaverat eam, summum eius dolorem descripserat; tum copiose narrat avos paternos maternosque praeclarum amplissimisque honoribus decoratum iuvenem in campis Elysiis magna admiratione excepturos esse. putamus dicere eum haec omnia ut Antoniam consoletur. minime vero: nam addit improvise *haec ipsum sublime ferent, haec, optima mater, debuerant luctus attenuare tuos*, pergitque Liviam adloqui. scilicet consolationem Liviae se scribere bene meminit, Antoniae, de qua dicere instituerat, obliviscitur. sed hoc poetae non boni est.

Neque vero boni poetae est, certe non copiosi, si quis in modico versuum numero eadem eodem modo saepius repetit. atqui hic poeta quod dicit v. 6, *nec posito filii nomine dicis 'uter?'* (et versatur in eadem re per totum carminis exordium), postea versibus 449 et 450 iterum profert, *nec cum victorem referetur adesse Neronem, dicere iam potero 'maior an alter adest?'* v. 86 Tiberium dicit *pallida promissa flere per ora coma*: simile est v. 295 *at comitum squallent immixtis ora capillis*, et videtur etiam priore versu potius *squallida* scripsisse; de qua re postea dicam. porro quod v. 430 legimus, *iam dubito magnos an rear esse deos*, consimiliter dicitur v. 493 *'quid ego autem credulus' inquit 'suscipiam in nullos irrita vota deos?'* tum postquam dictum est v. 482 *gentibus adversis forma sit ista, precor*, repetitur similis sententiae forma v. 450, *hostibus eveniat longa senecta meis*. denique inde a v. 224 pater Tiberinus ita describitur, *crinem caeruleum (vel caeruleo) magna legit ab ore manu uberibusque oculis lacrimarum flumina misit: vix capit adiectas alveus altus aquas*. hoc tanto opere poetae placuit ut similiter, ne colore quidem caeruleo neglecto, diceret v. 435 *illi caeruleum Panope matertera crinem solvit et immensas fletibus auxil aquas*.

Velles hunc poetam inventa sua minus amare: sed oblivione etiam eorum ridiculus est. tantum, ut Catulli verbis utar, abhorret ac mutat. nam inde a v. 89 feliciorum Liviam praedicat Tiberium quod praesens adfuerit fratri morienti: *at miseranda*

*parens suprema neque oscula fixit, frigida nec fovit membra tremente sinu. non animam adposito fugientem excepit hiatu nec traxit caesas per tua membra comas. raptus es absenti.* possum fortasse in his quoque aliquid non inmerito vituperare, sed missum hoc faciam concedamque hos versus esse laudabiles. quis autem expectet Liviae absentiam, qua augeri dolor eius hic dicitur, ab eodem poeta postea inter doloris consolationes commemorari? sed obliviosus homo haec loquitur inde a v. 393, *adde quod est absens functus nec cernere nati semineces oculos sustinere tui, qui dolor et menti lenissimus influit aegrae, accipere es luctus aure coacta tuos.* in quibus versibus quod posuit *es coacta*, indiligenter factum est, cum dicendum potius esset Liviā hanc luctus levationem deorum beneficio nactam esse.

Sed ut hic uno vocabulo contra artem poeta commisit, ita saepius eius oratio verborum sententiarumque concinnitate caret. utar paucis exemplis. inde a v. 491 describitur aliquis de plebe homo deos precaturus *pro paupere nato.* dictum hoc est non aptissime, neque enim paupertatem, sed morbum vitæque periculum commemorare par erat: sed quod desperans opem deorum homo postea dicit, *Livia non illos pro Druso Livia movit: nos erimus magno maxima cura Iovi?* hoc vero etiam minus recte conformatum est. superlativum enim illud nomen *maxima*, ut versui accommodatum est, ita inutile est ad sententiam. deinde ubi coniugium Drusi et Antoniae laudatur haec legimus v. 304, *par bene compositum: iuvenum fortissimus alter.* iure nostro expectamus poetam statim minore versiculo Antoniae pudicitiam aut pulcritudinem memoraturum esse: sed evertitur incohata comparatio versu infaceto, *altera tam forti mutua cura viro.* quod vitium carminis tam apertum est ut ne Iohannem quidem Clericum latere potuerit, ineptus autem sit Burmannus dum calumniam convellere sibi videtur. denique inter consolationes quibus umbra Drusi matrem ut fortis sit in dolore adhortari fingitur hi duo versus leguntur (457. 458), *consul et ignoti victor Germanicus orbis (cui fuit heu mortis publica causa) legor.* miramur eiulationem. nam *heu* illud poeta dicere poterat, Druso, cuius sibi hic personam inposuit, tribuit ad modum  
 20 inepte. scimus mediocres quosdam poetas Theotiscos saeculi xiii non numquam oblitos esse non se loqui ipsos, sed fabulae quam narrabant personas (*Lachm. zu den Nib. p. 20. zeitschr. f. deut-*

*sches alterth.* 5, 271): similiter, nisi fallor, hic Latinus poeta alucinatus est. neque enim tutum est emendationem periclitari.

Itaque hunc poetam, qui et apte conectere carminis partes non prorsus perdidicit et eadem iterando inopiam ingenii ostendit et suis ipse sententiis adversatur et orationem recte conformare saepius nescit, nullo pacto putabimus esse Ovidium Nasonem. et tamen non usque quaque verum est quod Scaliger dicit nihil hoc carmine dissimilius esse Ovidii. immo Ovidium imitari conatus est quicumque hoc epicedion scripsit, neque mirabile est saeculis post Christum natum decimo quinto et sexto huic poetae tributum esse carmen quod minus subtiliter iudicantibus indolem eius et quasi formam exprimere videretur. praeterea ignorabantur illa aetate multa quae hodie accurate expendenda esse intellegimus, quid quod nuperrime Carolus Lachmannus, cum de epistulis heroidum disputaret, leges quasdam quibus in versibus faciendis Ovidius se obstrinxit, incognitas antea nostris grammaticis, demonstravit: nos autem ut eis quae ille investigavit in hac quaestione uti possemus factum est peropportune. docuit igitur Lachmannus Ovidium vocabulorum iambi pedis mensura comprehensorum vocalique littera finitorum hanc ultimam vocalem in elegiacis carminibus numquam cum subiecta vocali coniunxisse. sed huius synzeseos exemplum praebet epicedii versus 375, *regna deae immitis parce irritare querendo.* porro Ovidius, ut Lachmanni verbis utar, syllabas breves in consonam exeuntes duabus certis condicionibus produxit, hoc est subsequente aut vocabulo Graeco aut ex his coniunctionibus alterutra quae sunt *et aut*, post caesuram in tertio hexametri pede. dissimili ratione dictum hic est v. 163 *miscbor cinerique cinis atque ossibus ossa.* denique ante relegationem Ovidius versus pentametros vocabulis monosyllabis numquam finivit: eius rei in epicedio tria exempla inveniuntur, *ubi es* v. 122. 124, *ope es* v. 426.

Quod autem dixi eum poetam qui hanc Liviae consolationem fecit imitari conatum esse Ovidium, id generatim intellegitur facillime; sed versus etiam Ovidii integros versuumque particulas in suum carmen transtulit. quamquam aliis quoque poetis non nulla debet. veluti quod v. 133 dicit *hic pietatis honos?*, Vergilianum est Aen. 4, 253. quae v. 281. 282 legimus, *hunc Aurora diem spectacula tanta ferentem quam primum croceis ro-*

*sida portet equis*, etsi Ovidius similia habet am. 2, 11, 55, tamen Tibullo deberi suspicor, qui haec dicit etiam similia 1, 3, 93, *hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem Luciferum roseis candida portet equis*. ab eodem Tibullo (2, 1, 25) mutuatus esse videtur poeta v. 415 *eventura precor*. neque dubitaverim ei, cum scriberet v. 330 *inter honoratos excipietur avos*,<sup>1</sup> observatum esse illud Propertii *sim digna merendo cuius honoratis ossa vehantur avis*. qui Propertii versus quo modo scribendus sit non nullos hodie dubitare miror. Ovidii imitorem multa ostendunt: e quibus tantum adferam quantum ad rem conprobendam videtur esse necessarium. itaque *voti pars altera vestri* v. 39 desumptum est ex fastis 5, 549, *vestri parsque altera voti*. quod mox sequitur *indignas, Livia, solve comas* Ovidii est am. 3, 9, 3, *flebilis indignas, Elegeia, solve capillos*. mox v. 46 haec legimus, *altius et vitis exeruisse caput*: manifesto deprehendimus imitorem, nequid gravius dicam: nam Ovidius in fastis haec habet 1, 299, *credibile est illos pariter vitisque locisque altius humanis exeruisse caput*. porro v. 86 *pallida promissa flere per ora coma* petatum est ex tristium versiculo 4, 2, 34 *squallida promissis qui tegit ora comis*, et videtur Heinsius etiam in epicedio recte restituisse *squallida*, quem ad modum quod v. 295 dictum est *at comitum squallent immissis ora capillis* congruit cum tristium versu 1, 3, 90 *squallidus immissis hirta per ora comis*. eiusdem tristium carminis tertii versu 42 dixit Ovidius *singultu medios impediante sonos*: idem eisdem verbis epicedii versu 420 legimus. similiter v. 226, *vix capit adiectas alveus altus aquas*, uno tantum vocabulo *nec* in *vix* mutato traductum est ex am. 3, 6, 86: neque falso opinabimur ex eisdem amorum versibus sumptum esse colorem versus 251, *paret et in longum spatiosas explicat undas*, cum illic Ovidius dixerit *increvit latis spatiosius undis*. sequuntur haec v. 252, *structaque pendenti pumice tecta subit*: imitatus videtur poeta quod legerat met. 8, 561, *pumice multo nec levibus atria topis structa subit*. manifestius furtum deprehendimus v. 320: *Hector terruit admissos sanguinolentus equos*. quippe inventum hoc est Ovidii dicentis her. 1, 36 *hic lacer admissos terruit Hector equos*. denique ridicula paene inprudencia hic homo alio Ovidii versu abusus est. qui cum trist. 2, 425 dixisset *explicat ut causas rapidi Lucretius ignis casurumque triplex vaticinatur opus*, adsecla eius hos inde lucratus est versiculos

(361. 362), *ecce necem intentam caelo terraeque fretoque casurumque triplex vaticinantur opus*. addam his non nulla Ovidianae dictionis exempla, quae cum per se momentum in hac quaestione habeant aut leve aut nullum, nunc, postquam imitatore[m] cognovimus, demonstrationis probabilitatem confirmabunt. conponam autem omnia quam potero facere brevissime. *miserabile igitur carmen* et hic legitur v. 3 et met. 5, 418. *iuvenis-maximus ille armis, maximus ille toga* 14, *iuvenum belloque togaque maxime* ep. ex P. 2, 4, 64. *praecepta gaudia* 29, met. 44, 340 (her. 47, 407). *concinuistis aves* 140, am. 3, 42, 2. *potui demeruisse* 432, her. 2, 28. *Remus Iliades* 244, am. 3, 4, 40, trist. 4, 3, 8. *admissis labere aquis* 250, *admissis labitur aquis* am. 4, 8, 50. *operosa gloria* 265, her. 2, 63. *attonita manu* 348, a. am. 4, 538, fast. 3, 864. *pio in arvo* 329, *per arva piorum* met. 44, 62. *pervenit*<sup>22</sup> *ad omnes* 425, met. 43, 484. *populator Achilles* 433, met. 42, 593. *Apollinea lauro* 459, fast. 6, 94. *denique est tibi sitque precor* 474 Ovidianum est her. 4, 441 et dixit similiter Ovidius saepius. sed hic poeta paene non cogitasse videtur quid scriberet; aliter enim non addidisset *parsque tui partus sit tibi salva prior*, in quo versu emendando Heinsius et Francius operam frustra consumpserunt. possum plura adicere, sed et ipse defatigatus sum disputandi genere minime iucundo et lectores diutius defatigare nolo et non nulla postea demonstrabuntur loco opportuniore. unam tamen rem, satis dignam quae commemoretur, hic praeterire non possum. etenim scriptor epicedii non eas tantum heroidum epistulas legit quas Ovidius fecerat, sed etiam vicesimam, quae Ovidio incerta opinione adscribitur, et quartam decimam, quam non esse Nasonis Lachmannus demonstravit. ex vicesimae versu 434 in sui carminis versum 438 rettulit *effingoque manus*; quod autem v. 465 scripsit *lacrimae sua verba sequuntur*, sumptum est ex quartae decimae epistulae v. 67.

Detraximus hac nostra disputatione non nihil de laudibus quae huic carmini, bono scilicet et digno maiestate saeculi Nasoniani, tributae sunt (nisi forte bonum poetam dicimus eum qui meliorem compilat): sed simul etiam antiquitatis speciem quodam modo confutavimus. nam qui tristium Ovidianorum aliquot versiculos carmini suo admiscuit, non potest hoc carmen scripsisse exeunte anno ab u. c. dccxxxv vel sub initium proximi anni. itaque cum videri vult post ipsum Drusi funus Liviam

consolari, fingit hoc et simulat tempusque ementitur. accedit aliud argumentum. nam inter alias admonitiones poeta etiam hac obiurgatione utitur (417—426), *tu tamen ausa potes tanto indulgere dolori, longius ut nolis heu male fortis ali. vix etiam fueras paucas vitalis in horas, obtulit invitae cum tibi Caesar opem admovitque preces et ius immiscuit illis aridaque adfusa guttura tinxit aqua. nec minor est nato servandae cura parentis: hic adhibet blandas, nec sine iure, preces.* haec quam bene dicta sint ipsi iudicent lectores: mihi eorum partim esse videntur minime concinna. tum nolo quaerere quam bene haec Liviae imaginem exprimant: certe alia narrat L. Annaeus Seneca in consolatione ad Marciam (c. 3. 4): *Livia amiserat filium Drusum, magnum futurum principem, iam magnum ducem. — longo itinere reliquias Drusi sui prosecuta, tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi totiens illum amitteret, irritata, ut primum tamen intulit tumulo, simul et illum et dolorem suum posuit nec plus doluit quam aut honestum erat Caesari aut aequum matri. — illa in primo fervore, cum maxime impatientes ferocesque sunt miseriae, se consolandam Areo, philosopho viri sui, praebuit, et multum eam rem profuisse sibi confessa est, plus quam populum Romanum, quem nolebat*  
 23 *tristem tristitia sua facere, plus quam Augustum, qui subducto altero adminiculo titubabat nec luctu suorum inclinandus erat, plus quam Tiberium filium, cuius pietas efficiebat ut in illo acerbo et defleto gentibus funere nihil sibi nisi numerum deesse sentiret.* non nego Senecam hanc narrationem pigmentis suis exornavisse, sed summam rei configere non potuit neque commenticio Liviae exemplo ad patientiam adhortari Marciam, a qua Liviam familiariter cultam esse scribit. si autem coniecturam facere licet, putaverim Senecam quae de Livia narrat ex Marci patris historiis sumpsisse, de quibus Niebuhrius dixit ad L. Senecae fragm. p. 104. sed quae epicedii scriptor perinde ac si ipse interfuerit et praesens viderit narrat, ea vero ab omni veri similitudine abhorrent. nam postquam Drusus anno ab u. c. dccxxxv repetita expeditione Germanica in aestivis castris (verba sunt Suetonii in Claudio c. 4) praesente Tiberio, qui Ticino raptim accurrerat, supremum diem obiit, corpus eius post aliquot menses Ticinum et inde Romam translatum est, asperrimo hie-  
 mis tempore, ut ait Tacitus ann. 3, 5. quis igitur credere potest Liviam, non cum nuntius ei adferebatur mortuum esse

Drusum (nam tum aberat ab ea Tiberius, cuius pariter atque Augusti precibus a morte revocatam poeta tradit), sed post conplures menses aut Ticini (quo eam Augustum comitatam esse e Senecae verbis collegimus) aut Romae in ipso filii funere tanto dolore oppressam esse ut vitam inedia finire vellet? sensisse hic aliquid videtur Clericus: qui cum dicat veram videri poetae narrationem, aliter enim futuram fuisse contumeliosam in Liviam, nos potius commentum agnoscemus hominis post Liviam viventis.

De qua re ut omnem dubitationem tollam, ostendam scriptum esse hoc carmen post Neronis imperatoris tempora. nam idem hic poeta, quem ex epistularum Ovidianarum Ovidioque adscriptarum corpore non nulla excerpisse vidimus, controversa etiam illa Sapphus epistula usus est. ex cuius epistulae versu 154 huc translata est dimidia pars versus pentametri (106), *Daulias ales Ityn.* tum quod versu 204 legimus *Ausonias matrès Ausoniaeque nurus*, etsi Ovidius quoque trist. 2, 4, 23 dixit *Ausonias matresque nurusque*, tamen forma orationis adscita est ex epistulae illius hoc versiculo (54), *Nisiades matres Nisiadesque nurus.* etiam *Parcarum pensa severa* (240) simillima sunt *filis severis* quae illic leguntur (v. 82). quae epistula Sapphus quo saeculo scripta sit non possum definire: sed miratus saepe sum F. G. Schneidewinum aliquando putavisse confictam esse saeculo quinto decimo, sed ante annum eius saeculi quinquagesimum, et postea eundem virum doctissimum hanc opinionem propterea tantum abiecissem quod versiculos aliquot illius epistulae in Parisiaco codice saeculi tertii decimi perscriptos esse resciverat. nam quod negat Schneidewinus (*Musei philologici* a. 1845 p. 143) scriptorem epistulae quicquam proferre quod non potuerit legere in eis libris quibus utebantur<sup>1</sup> doctiores illius<sup>24</sup> aetatis Itali, videtur res aliter se habere. veluti cum Atthidem inter amicas Sapphus commemorat v. 48, non potest hoc nomen accepisse a Terentiano Mauro (v. 2154): huius enim liber post Priscianum aliosque illorum temporum grammaticos, quibus Ennodium addo ep. 10, 16 eos tangentem *qui Terentianum nesciunt*, diu delituit, donec extremo saeculo quinto decimo ex Bobiensi sepulcro erutus est. itaque de Hephaestionis enchiridio cogitavimus, coniectura non ad modum probabili, nisi simul mentio fieret Anaetoriae, cuius certa memoria unius Maximi Tyrii dis-

sertatione xxiij (p. 478 R.) nobis conservata est. pariter cum v. 33 Sappho brevem se dicit et paulo post non candidam, qui hoc rettulerit novi neminem praeter eundem Maximum (p. 472) et, qui hunc secutus esse videtur, scholiastam Luciani (ad imaginum c. 48). scholion illud quo tempore adscriptum sit nescio, tritas fuisse has operum Luciani interpretationes ab Italis in-eunte saeculo quinto decimo non credo, Maximi autem Tyrii dissertationes constat Ianum Lascarin primum e Graecia in Italiam secum attulisse Laurentioque Mediceo dono dedisse. omitto alia argumenta, quae ab aliis aut a me ipso alio tempore pertractabuntur. illud autem pudendum est, neminem ante Lachmannum vidisse unde fictae huic Sapphoni cognita fuerit *furialis Erichtho* (v. 139). scilicet sumpta est ex Lucani libro sexto.

Itaque postquam epicedion Drusi depulimus ex Ovidii saeculo et post Neronem reieciimus, non magnopere errabimus, si in versiculis eius quibusdam, quos antea propter ridiculum Ovidiani carminis abusum tetigimus, simul L. Senecae vestigia adparere opinabimur. dico hos versus (364—364), *ecce necem intentam coelo terraeque fretoque casurumque triplex vaticinantur opus. i nunc et rebus tanta impendente ruina in te solam oculos et tua damna refer.* simillima sunt tota orationis conformatione quae Seneca ad Polybium scribit (20, 2), *mundo quidam minantur interitum et hoc universum quod omnia divina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit et in confusionem veterem tenebrasque demerget. eat nunc aliquis et singulas conploret animas; — eat aliquis et fata tantum aliquando nefas ausura sibi non pepercisse conqueratur.* pariter quod in consolatione ad Marciam (c. 3) de Livia dictum est, *non licuerat matri ultima filii oscula gratumque extremi sermonem oris haurire, obversabatur fortasse poetae cum scriberet (v. 95—98) at miseranda parens suprema neque oscula fixit, frigida nec fovit membra tremente sinu; non animam adposito fugientem exceptit hiatu, quid quod longius progredi licet et hunc versum (7), et quisquam leges audet tibi dicere flendi, ad quem Burmannus Statium putabat respexisse in epicedio pueri (silv. 5, 5, 60), potius ex Statii carmine derivatum suspicari, in quo scriptum est qui dicere le-*  
 25 *gem fletibus aut fines audet censere dolendi.*<sup>1</sup>

Profligasse nobis videmur partem quaestionis non tam sua ipsius obscuritate difficilem quam obrutam vana carminis ad-

miratione: restant difficiliora. de quibus quin disputem recusandum esse non puto, etsi non potero omnem rem ita absolvere ut nulla dubitatio relinquatur. neque tamen haec difficilior disputationis pars tota posita est in coniectura, sed a certis rebus ad minus certas sensim transibimus.

Primum igitur coarguenda est inertia grammaticorum, qui adeo negligenter hanc consolationem perlegerunt ut ne in mirabili quidem saepe sermone haesitarent. immo Burmannus cum v. 93 *functum* de mortuo dictum attendisset insolentemque Ovidii aetate vocabuli usum ipse agnovisset, tantum afuit ut alius saeculi consuetudine admonitus rem intellexeret, ut eandem loquendi rationem comprobato librariorum mendo in metamorphoseon librum undecimum inferre mallet. ubi quod legitur v. 583 *at dea non ultra pro functo morte rogari sustinet*, unice verum est: si cum parte codicum scripseris *functi*, perversa prorsus erit sententia. sed in eius modi rebus non commorabimur: satis enim declaratum est non scriptum esse Augusti saeculo hoc epicedion. potius ea considerabimus quae nullo Latini sermonis tempore usitata fuisse videntur. cuius insolentiae primum exemplum adferam hoc (v. 47), *nec nocuisse ulli et fortunam habuisse nocendi, nec quemquam nervos extimuisse tuos*. nam neque *nervos* dictos esse puto aptissime, neque Latine *fortunam nocendi*, pro qua facultatem requirimus. deinde offendimur his versibus (75. 76), *cedis et incassum tua nomina, Druse, levantur. ultima sit fati haec summa querella tui*. perplexe poeta minore versiculo locutus est: vult autem nihil aliud dicere quam hoc, 'ultimae sint hae querellae quas mors tua movet'. sed cum hac sententia ut prior versiculus congruat eamque, ut par est, praeparet, ita eum interpretari debebimus, 'removeris, Druse, e conspectu hominum et frustra sublato clamore nomen tuum adpellatur'. hoc vero praeter linguae Latinae consuetudinem dictum est ita, *incassum tua nomina levantur*. volebat Burmannus succurrere et *vocantur* vel simile aliquod vocabulum scribere: sed eius modi conatibus abstinendum est in hoc carmine, in quo alia inveniuntur non minus prava et quae omnem emendationem respuant. veluti qui statim sequuntur versiculi, etsi non laborant sermonis vitio, tamen non possunt esse ineptiores: *iste potest implere dolor vel saecula tota et magni luctus obtinuisse locum*. sed vitium sermonis deprehenditur in proximis versibus,

*multi in te amissi, nec cui tot turba bonorum, omnis cui virtus  
 contigit, unus eras.* velim enim doceri quis virtutum multitudi-  
 nem aut dixerit umquam *turbam bonorum* aut dicere recte po-  
 tuerit. magis etiam miramur quod paulo post legimus (v. 408),  
*Halcyonum — questus ad surdas tenui voce sonantur aquas.*  
 nescio quid dicam de Heinsio: nam ceteros minus curo: sed ne  
 26 Heinsius quidem offendit in inaudito plane verbo passivo. dico<sup>1</sup>  
 autem inauditum: nam quod apud Horatium est in iambis,  
 17, 39, *sive mendaci lyra voles sonari*, vel Ovidii illud in arte  
 amatoria, 1, 206, *et magno nobis ore sonandus eris*, comparare  
 non licet. porro absurde dictum est v. 220 *at vox adversis col-  
 libus icta redit*. novi ictos voce aliqua colles, *montis anfractu re-  
 percussas voces* Tacitus dixit ann. 4, 34; ictam collibus vocem  
 non novi neque norunt, opinor, Romani. mox v. 227 *fluminis  
 ictu* legitur: Rutgersius *auctu* malebat, alii alia: nos ab emen-  
 datione vocabuli non satis apti abstinemus. nam paucis inter-  
 iectis versibus poeta non magis Latine loquitur (v. 232), *sed  
 Mavors — tot dixit siccis verba neque ipse genis*. dicendum erat  
 non *tot*, sed *haec verba*. nequis vero hoc ipsum poetae reddend-  
 dum putet, idem *tot* vocabuli abusus tolli non potest ex hoc  
 versiculo (446), *si liceat, forti verba tot ore sonet*. sed ne in  
 formis quidem vocabulorum numquam peccatum est. nam gene-  
 tivum *ferocum*, quo versus 273 finitur, tam diu Latinum esse  
 negabo dum nemo eum consimili exemplo confirmabit. pergo  
 ad alia. postquam dixerat poeta *quo raperis laniata comas simi-  
 lisque furenti? quo ruis? attonita quid petis ora manu?*, sub-  
 iungit (v. 319) *hoc fuit Andromache* et mox (v. 324) *hoc fuit  
 Euadne*: atqui non *hoc* dicendum erat, sed *talis*. non melius  
 locutus est his versibus (339. 340) *vix credent tantum rerum  
 cepisse tot annos, magna rati latum quaerere facta locum*. in  
 quibus quod vitiosum erat culpa librariorum recte emendasse  
 mihi videor mutato *vir* in *rati*; verum ipse poeta a duplici  
 culpa liberari non potest. etenim et *latum locum* non bene dixit  
 pro tempore spatioso et pessime *tot annos* pro tam paucis. de-  
 fendit hoc Burmannus, ne Clericus aliquid intellexisse videretur,  
 exemplis ineptissimis. paulo post hi versus sequuntur (355. 356),  
*an melius per te virtutum exempla petemus, quam si Romanae  
 principis edis opus?* hic, nisi me fallit, nec *per te* rectum est  
 (debebat enim potius dici *abs te*) neque petendi verbum satis

aptum. nisi balbutiret homo, eius modi aliquid diceret, 'an melius nobis virtutum exempla praebere poteris'. denique cum hos posuit versus (377. 378), *quae tamen hoc uno tristis tibi tempore venit, saepe eadem rebus favit amica tuis*, aut alterum ab altero separavit orationemque male concidit aut, si coniunxit utrumque versum, ut par erat facere, *tamen dixit ubi requirebatur tametsi*. atque haec quidem dictionis exempla attulisse satis habeo: nolui enim molesta et putida diligentia omnia coacervare. neque potest de quibusdam carminis versibus ita disputari ut error caveatur. veluti proximus ille versus (379), *nata quod alte es quodque es fetibus aucta duobus*, non exiguam habet dubitationem, cum obscurum sit quid scripserit poeta. sed illud hac vitiosi sermonis investigatione effectum esse videtur ut iam minus moveat admirationem quod poetam v. 43 suspicatus sum scripsisse haud sane rectissime *quodque pudicitia est tantum cumulata bonorum*; nam quod Hein'sio in mentem venit, *quidve pudicitia tantum cumulasse bonorum*, id nec sententiam habet probabilem, cum accusativus potius casus *pudicitiam* suspendendus esset ex nominativo *tantum*, et nimium distat ab errore librariorum.

Intelleximus igitur hunc poetam haud raro usum esse sermone inquinatissimo et partim tali qualem Romani dum Latine locuti sunt videntur ignoravisse: restat ut omnia orationis vituperatione quaeramus utrum ea quae dixit antiquitatis speciem et quasi sensum veterum hominum communem expriment, an partim a prisca temporis consuetudine abhorreant. ac videor mihi duas certe res in hoc carmine invenisse ad antiquitatis speciem minime accommodatas. nam in priora parte carminis (v. 52) notissima proponitur imago Fortunae, *incerta est hic quoque nixa rota*: postea (v. 373) eadem fortuna plane aliter describitur, *quaque ruit, furibunda ruit totumque per orbem fulminat et caecis caeca triumphat equis*. verum enim vero hanc fulmina mittentem Fortunam, hanc equis et caecis adeo equis triumphantem ignorant veteres et poetae et scriptores, ignorant artifices, inter quorum opera nihil quod simile sit conspicitur. edidit sane Caspar Barthius adversariorum l. 40 c. 18 et receperunt inde Burmannus in tertium anthologiae suae Latinae librum, Wernsdorfius in tertium poetarum Latinorum minorum volumen, elegiam de fortunae vicissitudine scriptam, cuius hoc initium est, *tempore qui laeto sortem ridemus amaram, certa velut*

*stabiles non dea verset equos, cur idem adverso laetam venamur in aestu?* sed hoc carmen, quod Barthius narrat adiunctum fuisse vetusto codici Ponticorum Ovidii Coloniae Agrippinae a se comparato, nisi confictum est ab ipso Barthio (novimus enim hominem), certe antiquum non est. sed epicedii scriptor videtur equos valde amasse. etenim de Tiberi haec dicit (v. 229), *sustentabat aquas cursusque inhibebat equorum, ut posset toto proluere amne rogam.* miratus est hos equos Heinsius, miratus esse videtur etiam is qui *aquarum* scripsit, quod Heinsius in uno suorum codicum invenit receperatque Naugerius. sed *aquarum* ferri non posse Heinsius recte intellexit. idem plura coniecit, *cursusque inhibebat in aequor, cursusque inhibebat ad aequor, sustentabat atrox cursusque inhibebat aquarum.* quorum ut nulla est probabilitas, ita emendationem omnino quaerendam esse nego, sed deprehendi existimo poetam non antiquum. neque enim verendum esse videtur nequis Clerici exemplo curulem hunc Tiberim Neptuni Vergiliani aut Homerici comparatione defendat: nam Neptuni prorsus alia ratio est.

Itaque sensim eo pervenimus argumentando ut aetatem huius poetae coniectura definire possimus. nam si reputamus eundem poetam partim haud inscite excogitata enuntiare laudabiliter neque sine volubilitate quadam verborum, quam adsidua carminum lectio peperit, tum eorum poetarum qui Augusti aetate vixerunt et maxime Ovidii consuetudinem illam dicendi quae character dicitur ita imitari ut doctissimorum hominum iudicium fallere potuerit, partim turpiter labi et proferre quae ab omni antiquitatis sermone ac sensu aliena sunt, nescio quo alio eum tempore aut qua alia in terra vixisse dicamus quam saeculo post Christum natum quinto decimo in Italia.

Fuit autem, quantum reperire potui, hoc Drusi epicedion plane incognitum ante annum MCCCCLXXI, quo anno cum Ovidii carmina primum Bononiae et paulo post Romae arte typographica divulgabantur, simul editum est tamquam esset Ovidii. neque manu scripti codices extant antiquiores: inventi autem sunt et pauci et Itali omnes. Nicolaus enim Heinsius, quem scimus harum rerum studiosissimum fuisse magnamque Europae partem litteratis itineribus peragrasse, quattuor tantum codices conquirere potuit. de quibus quid dicat operae pretium est cognoscere. 'unum' inquit 'Romae apud amicum vidi, secundum Flo-

rentiae in Medicea bibliotheca. tertius et quartus penes me extant: quorum altero heredes Combiani Venetiis me donarunt, altero vir amicissimus Lucas Langermannus Neapoli advecto. omnes post inventam iam artem typographicam exarati et per omnia propemodum primis editionibus respondentes. post Heinsium nemo scripto huius carminis codice usus esse videtur: Dresdensis liber, quo ego usus sum, ab Italo confectus est saeculo sexto decimo. itaque ex hac parte tuta erit nostra opinio.

Neque vero labefactabitur, siquis animadverterit hunc poetam quaedam quibus usus esse videtur antiquorum poetarum carmina legisse emendatiora quam in nostris codicibus perscripta sunt. cuius rei duo exempla inveniri puto. nam si cum Heinsio recte suspicati sumus hos versus (339. 340), *ille pio, si non temere haec creduntur, in arvo inter honoratos excipietur avos*, scriptos esse non sine recordatione Propertiani carminis, adparet hunc poetam in eo carmine non *aquis* neque *equis* legisse, sed id ipsum quod Broukhusius et ante hunc, sed cum quadam erroris accessione, Heinsius Propertium scripsisse intellexerunt, *sim digna merendo, cuius honoratis ossa vehantur avis*. alterum exemplum hic versus (444) praebet, *stant rata non ulla fila renenda manu*. nam videtur sane Salmasius (comm. ad dedicationem statuae Regillae Herodis Attici) non ipsius poetae, sed librario- rum peccatum emendasse, cum *tenenda*, quod in libris est, ne intellegi quidem possit. verum hoc renendi vocabulum, quicum Graecorum ἀνακλώθειν recte comparatum est, nusquam invenitur praeter in his fastorum Ovidianorum versibus (6, 749. 750), *at Clymenus Clothoq̄e dolent, haec fila reneri, hic fieri regni iura minora sui*. atqui hic quoque *reneri* Salmasio debetur, in libris omnibus scriptum esse videtur *teneri*. sed quid mirum est, si Italus homo saeculi quinti decimi aut ipse invenit quae vocabula in Propertii et Ovidii versibus requirerentur (neque enim<sup>1</sup> omni<sup>29</sup> in his rebus sensu caruit), aut si aliorum Itatorum inventis usus est? nam Itali illi, ut dicit is quo melius nemo eorum artem exploravit, in faciendis coniecturis non numquam summorum criticorum praeverterunt ingenia. non magis autem credendum est omnia quae illi cōiectura adsecuti sunt continuo in codices relata esse quam nullum codicem ab eis emendatum perisse. utar exemplo. apud Tibullum (1, 4, 43) haec leguntur, *quamvis praetexens picea ferrugine caelum venturam admittat imbrifer*

*arcus aquam.* unum minoris versiculi mendum Heinsius et perspexit et sustulit: rectissime enim *nimbifer* scribendum esse coniecit. sed *arcus* etiam tolerari nequit; non quin *nimbifer* vel, si per versum lieuisset, *imbrifer* dici potuerit (nam hoc interpretes demonstrarunt et est *imbrifer arcus* apud Statium Theb. 9, 405), sed quia *arcus* nullo modo potest caelum picea ferrugine praetextere. et tamen scriptum est hoc vocabulum in codicibus omnibus, eis quoque in quibus plurima Italorum commenta reperiuntur. unus hanc rem intellexit Huschkius: sed nihil, opinor, intellexisset, nisi Santenius Hieronymum Balbum Tibulli versum imitatum esse animadvertisset. Balbus igitur cum scripserit carmine xx *curve adigat* (sic Huschkius, legebatur *adimat*) *pluvias imbrifer Euris aquas*, adparet eum aut ipsum restituisse Tibullo Euri vocabulum aut alius Itali invento usum esse. comparari autem potest quod est in diris (v. 38), *Eurus agat mixtam furva caligine nubem.*

Sed ut ad epicedii scriptorem redeam, vidimus eum carminibus praeter Ovidiana usum esse Vergilii Tibulli Propertii, fortasse etiam Statii, hoc est eorum poetarum quos doctiores illorum temporum Itali et lectitarunt studiose et saepe imitati sunt. verum semel eius carmen congruit cum poemate minus claro. Caelii enim Firmiani Symposii feruntur versus Aselepiadei quindecim quibus Fortunae levitas atque iniquitas describuntur (Burm. Anth. Lat. t. 4 p. 556, Wernsd. poet. Lat. min. t. 3 p. 386). inter quos versus hi duo sunt, *haec aufert iuvenes et retinet senes, iniusto arbitrio tempora dividens.* similiter et ut alterum poetam alterum imitari adpareat in epicedio haec dicta sunt (v. 374. 372), *Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis: illa rapit iuvenes, sustinet illa senes.* itaque Heinsius Symposium illos versus de epicedio Drusi excripsis dixit. hoc si adsensu adprobandum esset, sequeretur fefellisse nos opinionem. nam cur illud Symposii carmen saeculo non quarto vel quinto, sed quinto decimo scriptum esse putem nullam plane habeo causam. immo nisi neglegenter locutus est Mariangelus Accursius, legit hoc carmen in libro antiquiore: nam codices Petavianus et Vossianus, quos Burmannus commemorat, quam antiqui fuerint nescio.\*)

\*) [Vossianus Q 86 saeculi noni esse dicitur atque exhibent idem carmen alii codices vetusti, Aselepiadio, uni ex duodecim sapientibus, tributum. cf. Riese anthol. II. p. 81. n. 629.]

sed Accursius in diatriba Ausoniana, quam anno MDXXIII edidit, haec habet (p. 534 Toll.), 'nos in vetusto codice Vaticanae bibliothecae, quo et Macrobbi Saturnalium dimidiatus liber et Vegetius 30 continentur, choriambicum Asclepiadeum de Fortuna non ad Vergilium, sed ad Caelium Firmianum Symposium relatam invenimus.' tamen non desisto sententia. quidnam enim dici potest quam ob rem epicedii scriptor, quem aliorum poetarum carmina saepius imitatum esse cognovimus, Symposii poema legere non potuerit?

Similiter iudicandum esse videtur de elegis illis in Maecenatis mortem scriptis quos supra ita tetigi ut accuratiorem disputationem differrem. duo carmina sunt, alterum epicedion Maecenatis, alterum, quod Scaliger ab illo recte separavit, ipsius Maecenatis verba suprema continens: possunt autem facta esse ab eodem poeta. haec igitur carmina quo tempore et a quo homine in lucem prolata sint dudum constat. nam ut Burmannus narrat (anth. Lat. t. I p. 287), subscriptum eis est in codicibus Leidensi et Vossiano *fnit elegia Virgilii Maronis in Mecenatem inventa ab Henoc in Dacia*, similiterque in codice quodam Vaticano, de quo Tycho Mommsenus nuper dixit (Mus. philol. a. 1848 p. 626), adiectum est *fnit elegia inventa ab Enoc in Dacia*. Henoch autem ille Asculanus est, idem cui Taciti Germaniam et dialogum particulamque virorum illustrium Suetonii debemus. eum Franciscus Philelphus in epistula quadam (43, 4) narrat librorum Latinorum conquirendorum causa usque in Daciam, hoc est in Daniam, profectum esse iussu Nicolai v papae Romani, intra annos igitur saeculi quinti decimi quadragesimum quintum. postea editi sunt hi elegi inter opera Vergilii a Conrado Schweinheimio et Arnolde Pannarzio; quae Vergilianorum carminum exemplaria divulgata esse constat aut anno MCCCCLXXIII aut aliquanto etiam prius, annis ante editam consolationem minimum duobus. inepta et scholastica esse haec carmina supra dixi, et dixerunt plurimi: sed videntur tamen mediocriter esse antiqua, hoc est aliquot post Christum natum saeculis scripta. neque, quantum accepimus, mendax homo fuit Henoch Asculanus. itaque horum neque antiquorum valde neque, ut videtur, recentissimorum carminum prius his versibus incipit, *desleram iuvenis tristi modo car-*

\*) [Insunt codicibus iam saec. X. XI. XII conpluribus. cf. Wagner Vergil. t. IV p. 337 Ribbeck app. Vergil. p. 195.]

*mine fata: sunt etiam merito carmina danda seni.* nesciremus quem iuvenem poeta diceret, nisi in altero carmine haec essent verba Maecenatis, *mene — iuvenis primaevi, Iuppiter, ante angustam Drusi non cecidisse diem? pectore maturo fuerat, puer integer aevo, et magnum magni Caesaris illud opus.* videtur enim verissime I. Fr. Gronovius Drusi nomen pro inepto Bruti nomine substituisse et perfecisse emendationem N. Heinsius, ante quem scriptum erat *angustam — fidem*: non prorsus dissimiliter in priore carmine (v. 118) dictum est *cur nos angusta condicione sumus?* congruunt autem tempora: nam Maecenas altero post Drusum anno mortuus est. quam apte poeta haec dixerit non quaero: <sup>31</sup> hoc manifestum esse videtur, scripsisse<sup>1</sup> eum antea aut scripsisse velle videri epicedion aliquod Drusi. quare incitur sane nobis scrupulus, cum videmus ei epicedio de quo disputamus quaedam esse cum illis elegis communia. quale statim illud est quod ex altera eorum parte modo attuli, *Caesaris illud opus*: eadem enim verba leguntur consolationis versu 39. tum versus consolationis duos cum duobus Symposii versibus paene congruere antea docuimus: sed haec pentametri pars, *illa rapit iuvenes*, invenitur etiam in Maecenatis epicedio (v. 7). denique in Drusi epicedio hi sunt versus (47. 48), *nec nocuisse ulli et fortunam habuisse nocendi, nec quemquam nervos extimuisse tuos*: in quibus quid vituperandum esset supra diximus: sine sermonis vitio, sed sententia simillima, dictum est in epicedio Maecenatis (v. 15. 16) *omnia cum posses, tanto tam carus amico, te sensit nemo velle nocere tamen.* itaque videtur non posse negari alterum poetam alteri cognitum fuisse. quae cum ita sint, putabimusne eum poetam qui epicedion Maecenatis scripsit novisse consolationem Liviae eamque, cum sine poetae nomine circum ferretur, sibi quasi adrogasse, ut aut nos falsi simus, qui hoc carmen ad saeculum quintum decimum rettulimus, aut mentiti sint qui epicedion Maecenatis medio eodem saeculo in Dania inventum esse dixerunt? falsum me esse facile crederem (neque enim tam gaudeo in me tamve me ipse miror ut opiniones meas contumacius teneam), si Drusi epicedion aliis temporibus aptius tribui posse intellegerem. sed patet via qua ex hac difficultate evadamus. non absurde enim dicemus postquam Henoeh Asculanus elegos illos e Dania in Italiam adportaverat extitisse Italum poetam qui inventis carminibus illis incitatus epicedion Drusi scri-

beret: quo factum est ut non nulla ex eis in suum carmen deduceret. neque mirandum est hunc poetam et melius paulo carmen fecisse et tamen multa dixisse non Latine. possumus autem fortasse demonstrare eum poetam qui epicedio Maecenatis composuit unam earum sententiarum quas ei cum Drusi epicedio communes esse diximus aliunde arcessivisse, non ex hoc epicedio Drusi. nam ille poeta dubitari nequit quin carminis sui materiam atque illam quam Graeci dicunt ἀφορμήν sumpserit ex Senecae epistula cxiiii. in qua epistula Seneca Maecenatem narrat cum aliis in rebus mollem, tum discinctum fuisse et solutis tunicis in urbe semper incessisse, oratione autem aequae soluta quam ipse discinctus fuerit usum esse. hinc ille poeta petiit versiculos istos, *quod discinctus eras, animo quoque, carpitur unum, et livide, quid tandem tunicae nocuere solutae? aut tibi ventosi quid nocuere sinus?* hinc totum carmen ridiculi hominis quasi suspensum est. itaque cum dicit illud quod supra commemoravi *omnia cum posses, tanto tam carus amico, te sensit nemo posse nocere tamen*, etsi vulgarem sententiam sine alius scriptoris imitatione proponere potuit, tamen non videtur casu factum esse ut haec quoque cum Senecae illa epistula conveniant. Seneca enim *maxima*<sup>1</sup> inquit *laus illi tribuitur mansuetudinibus: pepercit gladio, sanguine abstinuit, nec ulla alia re quid posset quam licentia ostendit.* si addere licet tenuem aliquam suspicionem, etiam haec verba, *Caesaris illud opus*, ex Senecae illis epistulis deducta videri possunt. nam qui plane similiter dixerit unus inventus est Seneca, qui ep. xxxiiii Lucilium, cuius ingenium formaverat, sic adloquitur, *adsero te mihi, meum opus es.*

Haec si recte aut saltem non inepte disputavimus, restat ut ea quae in epicedio Drusi aut narrantur aut strictim tanguntur consideremus. quaerendum est enim utrum saeculo quinto decimo doctiori alicui Italo nota fuisse possint, an reconditiora sint quam ut in temporum illorum doctrinam cadere videantur. itaque singulatim omnia persequar, sed breviter.

Alpes igitur cum a Druso hostibus ereptae dicuntur (v. 15) et deleta Raetorum arma (v. 175), ne Horatii carmina commemorem, narravit Tridentinam Drusi victoriam Cassius Dio 54, 22. tum quod Drusus Suevos et Sicambros contudisse dicitur (v. 17. 344. 342), idem Dio eodem libro de tribus eius expeditionibus quibus Sicambros adgressus est exposuit: quartam expeditionem

qua Drusus in Sueviam penetravit, initio libri sequentis commemoravit.

Funera domus Augustae et luctus Octaviani poeta his verbis persequitur (65—70), *vidimus erepta maerentem stirpe sororis: luctus, ut in Druso, publicus ille fuit. condidit Agrippam quo te, Marcelle, sepulcro, et cepit generos iam locus ille duos. via posito Agrippa tumuli bene ianua clausa est: percipit officium funeris ecce soror. recte omnia. M. enim Marcellus mortuus est anno ab u. c. dccxxxi: narrat rem Cassius Dio 53, 30. si singula poetae verba rimari libet, quamquam non opus est fieri, quod dicit luctus publicus ille fuit, potest legisse quae Servius ad Aen. 6, 862 adscripsit, huius mortem vehementer civitas doluit: nam si luctum publicum proprie dixit, ieiune et exiliter locutus est. M. Agrippam mortuum esse constat anno ab u. c. dccxxxii, Octaviam, sororem Augusti, anno proximo. atque hostris et Drusum et, quod postea (v. 464) futurum esse dicit, Liviam in eodem sepulcro, hoc est in Mausoleo Augusti, conditos esse poetam docere poterant ea quae Dio narrat 53, 30. 54, 28. 35. 55, 2. 58, 2.*

Paulo post (v. 89—100) poeta Tiberium ait praesentem adfuisse fratri morienti, afuisse Liviam matrem. illud, ut alios taceam, Dio narrat 54, 2 et Seneca cons. ad Pol. 34: in Liviae absentia commemoranda poetae observatam videri narrationem Senecae (cons. ad Marciam 3) supra diximus.

Consulem fuisse Drusum, cum mors eum raperet, saepius repetit poeta (v. 139—144. 200. 293. 336. 457): hoc quoque <sup>33</sup> Dio habet 51, 4 et Suetonius initio Claudii.<sup>1</sup>

Narrat deinde poeta (v. 166—170) exercitum Drusi corpus in armis, hoc est in ipsis castris, comburere voluisse, sed ablatum invitis patriaeque restitutum esse a Tiberio. huc pertinent quae Seneca cons. ad Pol. c. 34 tradit, *totum exercitum non solum maestum, sed etiam attonitum, corpus Drusi sui sibi vindicantem, ad morem Romani luctus redegit, iudicavitque non militandi tantum disciplinam esse servandam, sed etiam dolendi.* atqui supra ostendisse nobis videmur scriptorem epicedii hunc Senecae librum legisse et quaedam eius verba imitatum esse.

Porro quod ait poeta (v. 202), *funeris exequiis adsumus omnis eques*, satis congruit cum hac Dionis narratione (54, 2), *καὶ ὁ μὲν ἔς τε τὸ Ἄρειον πεδῖον ὑπὸ τῶν ἱππέων, τῶν τε ἔς τὴν*

ἰππάδα ἀκριβῶς τελούντων καὶ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ γένους ὄντων, ἡνέχθη, κἀνταῦθα πυρὶ δοθεὶς ἐς τὸ Αὐγούστου μνημεῖον κατετέθη. non inepte autem fortasse suspicabimur se ipsum equitem dixisse poetam propterea ut P. Ovidius Naso esse videretur, cuius nomen inscriptum est in veteribus carminis exemplaribus.

Laudatum esse Drusum funebri oratione Augusti poeta bis narrat (v. 209—212. 465. 466), et narrant Dio 51, 2 et Suetonius in Claudio c. 4. videtur autem poeta non neglexisse Suetonium: nam quod dicit, *tu letum optasti, dis aversantibus omen, par tibi, si sinerent te tua fata mori*, Suetonius narrat Augustum, cum defunctum pro contione laudaret, deos precatum esse, *similes ei Caesares suos facerent sibi que tam honestum quandoque exitum darent quam illi dedissent*.

Sed quod poeta deinde narrat (v. 224—252) in ipso Drusi funere Tiberim aucta aqua abundasse, aliunde non audivimus. ex quo minime efficitur usum eum esse incogniti nobis alicuius scriptoris narratione. nisi forte putas hunc poetam tam non fuisse poetam ut plane nihil ipse confingeret. finxit autem hanc rem, ut verum fatear, non aptissime, certe non narravit aptissime.

Rursus convenit ei cum Dione, cum Drusum ita adloquitur (v. 269. 270), *stabis et in rostris tituli speciosus honore, causaque dicemur nos tibi, Druse, necis*. certe Dio inter alia τιμὰς εἰκόνων Druso tributas esse narrat. rostra poeta neque inepte addidit et potuit de suo addere. quod ut faceret non magna opus erat doctrina: veluti legisse potest praeter alios scriptores Dionem, qui 42, 18 commemorat τὰς εἰκόνας τοῦ τε Πομπηίου καὶ τοῦ Σύλλου τὰς ἐπὶ τῷ βήματι ἐστῶσας.

Sed plane congruit hoc carmen cum Dione eo versu (288) quo Drusi nomen prae fronte aedis Castoris scriptum iri dicit. nam Dio postquam narravit (55, 27) anno ab u. c. DCCLVIII Drusi filios munus gladiatorium in honorem patris edidisse, ita pergit, τοῦτ' ὅτι τὸ Διοσκουρείον ὁ Τιβέριος καθιερώσας οὐ τὸ ἑαυτοῦ μόνον ὄνομα αὐτῶν, Κλαυδιανὸν ἑαυτὸν ἀντὶ τοῦ Κλαυδίου διὰ τὴν ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου γένος ἐσποίτησιν ὀνομάσας, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐκείνου ἐπέγραψεν. dedicavit autem Tiberius hanc aedem de manubiis belli Germanici, ut Suetonius narrat Tib. c. 20. ex quo intellegitur fieri potuisse ut et Tiberius Drusi nomen adderet et Ovidius (fast. 4, 707) Ledaes fratribus fratres de gente deorum templa con-

posuisse diceret, etiamsi verum sit quod Merkelius opinatur (praef. ad fast. p. ccxxvi), aedem illam igne absumptam fuisse anno ab u. c. dccxxxvii, duobus post Drusi mortem annis.

Versu 303 Heinsius post *Caesaris* vocabulum interpunxit. hoc si fit, cur poeta uxorem Drusi dicat filiam Caesaris, utrum propterea ut ab Augusto filiae loco habitam esse significet, an errore aliquo quem explicare non possum, ambiguum mihi est. quapropter *illi* adiungendum esse videbatur prioribus verbis, ut Drusus Antoniam dicatur non minoris aestimasse quam si Caesaris filia fuisset. frigidum hoc est, sed intellegi potest. postea (v. 323) cum poeta *natos, pignora de Druso sola relictā*, commemorat, rem dicit vel ex Suetonii Claudio (c. 4) notam.

Deinde ubi utriusque Neronis victoriae praedicantur (v. 385—394) mentio fit Danubii Dacorum Armeniorum Delmatarum Pannoniorum: quos ut poeta commemoraret satis erat si legerat quae Dio 54, 34. 34. 36 de Tiberii expeditionibus eiusdemque libri capite nono de regno Armeniae ab eodem Tiberio Tigrani restituto narrat. posterioris rei gloriam auxit similiter atque Horatius, cum dixit (ep. 1, 12, 27) *Claudi virtute Neronis Armenius cecidit*.

Paulo post haec legimus (v. 404—403), *Iuppiter ante dedit fati mala signa cruenti, flammifera petiit cum sua templa manu, Iunonisque gravi nocte impavidaeque Minervae*. quae respondent eis quae Dio 55, 4 tradit, τῷ δ' ἐχομένῳ ἔπει ὁ Δροῦσος μετὰ Τίτου Κρισπίου ὑπάτευσσε, καὶ αὐτῷ σημεῖα οὐκ ἀγαθὰ συνηγήθη· πολλὰ μὲν γὰρ καὶ ἄλλα καὶ χειμῶνι καὶ κεραυνοῖς, πολλοὶ δὲ καὶ ναοὶ ἐφθάρησαν, ὥστε καὶ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτωλίου τῶν τε συννάων αὐτοῦ κακωθῆναι. quinam fuerint illi σύνναοι, id quod nobis hodie notissimum est, ne saeculo quidem quinto decimo paulo doctior homo ignorare potuit. nam ut alia minus fortasse vulgaria rei testimonia omittam, in lectitatis illo quoque tempore Servii commentariis haec adscripta sunt ad Aen. 2, 225, *delubrum dicitur quod uno tecto plura complectitur numina, quia uno tecto diluatur; ut est Capitolium, in quo est Minerva Iuppiter Iuno*. sed quae deinde adduntur in epicedio, Caesaris domum fulmine ictam esse et Luciferum non comparuisse, ea vero, quantum  
35 scio, alius scriptoris confirmatione carent. verum, ut antea dixi cum de Tiberi extra ripas egresso loquebar, neque necesse est

neque rationi consentaneum ut credamus poetam, praesertim in tali re, nihil plane commentum esse.

Deinde, ne nihil praeteream, Augustus dicitur (v. 442) Marcellum et Octaviam coram populo flevisse, hoc est in funere laudasse: etiam haec sumpta esse possunt ex Dionis libris 53 (c. 30) et 54 (c. 35).

Paucis versibus interiectis poeta umbram Drusi hac adhortatione uti facit, actis, non segnibus annis aevum inplendum esse. sequuntur haec (v. 451. 452), *hoc atavi monuere mei proavique Neronis: fregerunt ambo Punica bella duces.* de quibus verbis magna est dubitatio interpretum. et laudabo, siquis ita haec explicuerit ut et Latine et vere dicta esse demonstraret. interea puto recte Micellum intellexisse significari Appium Claudium C. f. Caudicem et C. Claudium Ti. f. Neronem, quos Claudios poeta Neronum nomine licentius comprehendisse videtur. quodsi non repudiatur haec interpretatio, non male suspicabimur accommodasse poetam carmini suo ea quae Suetonius in Tiberio (c. 2), dum gentis Claudiae gloriam et dedecora persequitur, commemorat: *Claudius Caudex primus freto classe transiecto Pœnos Sicilia expulit. Claudius Nero advenientem ex Hispania cum ingentibus copiis Asdrubalem prius quam Hannibali fratri coniungeretur oppressit.* illud autem *ambo*, quod non potest referri nisi ad atavos proavosque, profecto perperam dictum est, sed ut hunc malae Latinitatis auctorem non dedecere videatur.

Denique ubi Drusus suum ipse funus describit (v. 459—464) etsi omnia ita comparata sunt ut ea mediocris antiquitatis scientia poetae suppeditare potuerit (veluti decursus funebres notissimi sunt ex Aeneidos libro undecimo), tamen non praetereundum est similia inveniri in eis quae Cassius Dio libro LVI de Augusti funere narravit, (c. 34) εἰκὼν δὲ τις αὐτοῦ κηρίνη ἐν ἐπινικίῳ στολῇ ἐξεφαίνετο, — καὶ τις καὶ τοῦ Πομπηίου τοῦ μεγάλου εἰκὼν ἄφθνη, τὰ τε ἔθνη πάνθ' ὅσα προσεκτήσατο, ἐπιχωρίως σφίσιν ὡς ἕκαστα ἀπεικασμένα ἐπέμφθη, (42) ἐπεὶ δὲ ἐς τὴν πυρὰν τὴν ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ ἐνετέθη, πρῶτοι μὲν οἱ ἱερεῖς πάντες περιῆλθον αὐτήν, ἔπειτα δὲ οἱ τε ἵππεῖς, οἱ τε ἐκ τοῦ τέλους καὶ οἱ ἄλλοι, καὶ τὸ ὀπλιτικὸν τὸ φρουρικὸν περιέδραμον. hinc petere poeta potuit triumphale laureae ornamentum, decursus virorum, oppida per titulos suos lecta. simul autem meminisse potuit eius rei quam Suetonius initio Claudii tradit, excitasse exercitum Druso hono-

rarium tumulum circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret. notissimum Germanici cognomen (v. 337. 437) et Dio 36 praebet 55, 2 et Suetonius in Claudio (c. 4).<sup>1</sup>

Ostendisse nobis videmur neque indoctum fuisse hunc poetam neque tali doctrina instructum qualis saeculo quinto decimo non potuerit esse Itali hominis, nam si paucissima excipimus quae suoapte ingenio invenisse videtur, omnia quae persecuti sumus in carmen suum conferre potuit ex quattuor scriptorum libris, Senecae, Suetonii, Cassii Dionis, Servii. sed hic equidem vereor ne multi admiraturi sint me hac ipsa Cassii Dionis conparatione non esse de sententia deterritum, quippe cuius historia in Latinum sermonem translata a Nicolao Leoniceno in lucem primum prodierit anno MDCXXXII, ipsi Graeci libri editi sint a Roberto Stephano anno MDCXXXVIII. possum autem demonstrare Cassii Dionis libros iam medio saeculo quinto decimo lectos esse a doctis Italis. Baptista enim Guarinus, quem mortuum esse constat mense decembri anni MCCCCLX, Latinam fecit orationem quam Dio libro XXXVIII Antonium post caedem Caesaris habere fingit: quae oratio est in codice bibliothecae Vindobonensis (Endl. catal. p. 284). eodem quo Guarinus anno mortuus est Iohannes Aurispa. is Philisei illud et Ciceronis colloquium quo Dio librum XXXVIII exornandum esse putavit in Latinam linguam transtulerat: cuius libelli duo exemplaria inter codices bibliothecae Laurentianae inveniri editumque esse Parisiis anno MDX Bandinius narrat (catal. cod. Lat. bibl. Med. Laur. t. 3 p. 629. 648).

Finire possem et eruditibus hominibus iudicandam tradere hanc disputationem, nisi non nulla restarent quae nullo modo negligenda esse intellego. etenim hic poeta et eversos in funere Drusi fasces commemorat (v. 142) et copiose narrat (v. 177—190) consulem inisse urbem, hoc est corpus Drusi illatum esse, fractis fascibus, cives domos clausisse et per urbem strepitasse, iura siluisse, deos templis latuisse absconditos. his partim simillima sunt quae Cornelius Tacitus audita Romae morte Germanici, Drusi filii, facta esse scribit ann. 2, 82. adscribam ipsa eius verba. *hos vulgi sermones audita mors adeo incendit ut ante edictum magistratum, ante senatus consultum sumpto iustitio desererentur fora, clauderentur domus. passim silentia et gemitus, nihil conpositum in ostentationem.* deinde idem Tacitus proximi libri

initio (c. 2) *tribunorum inquit centurionumque umeris cineres portabantur; praecedebant incompta signa, versi fasces.* et versorum quidem in funeribus fascium nemo praeter Tacitum et epicedii scriptorem mentionem fecit. itaque nisi inter omnes constaret sex priores Taciti annales tempore demum Leonis x papae Romani ex monasterio Corbeiensi in Italiam adlatos esse, crederemus scriptorem epicedii non nulla eorum quae Tacitus de Germanico narrat ad Drusum patrem transtulisse. quod cum fieri nequeat, aut abiectis omnibus quae satis probabiliter disputasse nobis videbatur concedendum est carmen illud, in quo multa invenimus ab antiquitate aliena, tamen scriptum esse antiquo tempore<sup>1</sup>, aut periclitari oportet aliquam rationem qua<sup>37</sup> difficultatem removeamus. ac primum quidem (nam in clausis domibus non diu haerebimus) iustitii in luctu publico facti bis meminit Suetonius, Tiberii capite 52 et Caligulae capite 24. tum de iustitio haec habet Lucanus libro II (v. 47), *ferale per urbem iustitium: latuit plebeio tectus amictu omnis honor; nullos comitata est purpura fasces*, et haec rursus libro V (v. 30), *maerentia tecta Caesar habet vacuasque domos legesque silentes clausaque iustitio tristi fora.* atque ex illis Lucani versibus, nisi me fallit, conficti sunt versus epicedii hinc (185. 186), *iura silent mutaeque tacent sine vindice leges; adspicitur toto purpura nulla foro.* sequuntur haec, *dique latent templis neque iniqua ad funera vultus praebent nec poscunt tura ferenda rogo.* observari poetae poterant (disputamus enim de eis quae potuisse fieri videntur) quae Ovidius in feralibus observanda esse docet (fast. 2, 564), *di quoque templorum foribus celentur opertis, tura vacent arae, stentque sine igne foci.* versos autem sive, ut ait, eversos fasces ut commemoraret adduci potuit recordatione carminum Vergilii et Statii, quae cum Taciti illa narratione Lipsius recte comparavit. Vergilii enim (Aen. 11, 92. 93) haec sunt in descriptione pompae qua Aeneas mortuum Pallantem honorat, *tum maesta phalanx Teucrique sequuntur Tyrrhenique omnes et versis Arcades armis.* Statius autem haec habet Theb. 6, 243 ss. *tunc septem numero turmas (centenus ubique urget eques) versis ducunt insignibus ipsi Graiugeniae reges lustrantque ex more sinistro orbe rogam et stantes inclinant pulvere flammis.* similem scutorum in luctu inventorum consuetudinem tangi a summo poeta Wolframo Eschenbachensi (Parz. 80, 9. 94, 10. 92, 1) notum est eis qui non

despiciunt antiqua Germanorum carmina, similiaque nunc quoque fieri solere omnes, opinor, norunt. puto tamen cum magna veri similitudine demonstrari posse quid potissimum epicedii scriptori obversatum fuerit: unde simul intelletur cur *eversos fasces* dicere maluerit quam simplicius *versos* et cur non *eversos* tantum commemoraverit (v. 142), verum etiam, quod mirere, *fractos* (v. 177). vidimus enim usum eum esse Ovidiano epicedio Tibulli (am. 3, 9). ex quo carmine sumpsit illud *indignas solve comas* (v. 40). addo aliud. nam quod bis similiter dicit (v. 130 et 194), cum Drusus mortem effugere non potuerit, nullos esse videri deos, hoc quoque ex illo Tibulli epicedio (v. 35. 36) mutuatus esse videtur, in quo haec legerat, *cum rapiant mala fata bonos (ignoscite fasso), sollicitor nullos esse putare deos. iam vide mihi hos eiusdem Ovidiani carminis versiculos (7. 8), ecce puer Veneris fert eversamque pharetram et fractos arcus et sine luce facem. intelleges, puto, cui poetae homo ille debeat fasces et eversos et fractos.*

Denique dicendum mihi est de Isargo et de Dacio Apulo, qui inter testes rerum ab utroque Nerone fortiter gestarum  
 38 commemorantur (v. 386. 387). Isargi<sup>1</sup> nomen restituit doctissimus vir, Caspar Zeussius (*die Deutschen und ihre nachbarstämme* p. 237), et nisi memoria me fallit, ego quoque, utpote in re planissima, eandem emendationem feci. Isarci inter gentes Alpinas ab Augusto sub imperium populi Romani redactas commemorantur in inscriptione illa tropaei Alpium quam Plinius libro historiae naturalis tertio (c. 20) adfert. sed Isarcum, fluvii nomen qui hodie *Eisack* dicitur, Zeussius ex actis sancti Cassiani protulit, ubi scriptum est *Ysarche flumen*. idem nomen Isarci rectius scriptum in chartis medii quod dicitur aevi haud raro legi, veluti in Tirolensibus ab Hormayrio editis (*krit. dipl. beitr. zur gesch. Tirols* 1, 2, 80. 204. 206, *Kink cod. Wang.* p. 35 inter Atesim et Isarcum (ann. 1163)). dubitari autem nequit quin hoc fluvii nomen Italo poetae notissimum esse potuerit, praesertim si natus fuit in Italia Cisalpina. difficilior quaestio est de Dacio Apulo. in quo vocabulo explicando aut emendando frustra laboraverunt interpretes et ipse adeo omnium doctissimus, Iosephus Scaliger. recte se habere gentis nomen Iohannes Clericus, homo valde indoctus, vidit, cum non neglexisset Ptolemaeum consulere: irrisit autem eum stultissime Burmannus.

Ptolemaeus igitur (3, 8, 8) in enumeratione civitatum Daciae habet Ἀπουλον. inde, opinor, apud geographum Ravennatem (4, 7) *Apulon* est inter civitates *Mysiae*, hoc est *Moesiae*, inferioris. tum in digestorum libro 50 tit. 15 (1) Ulpiani verba sunt ex libro primo de censibus, in quibus *colonia Apulensis* commemoratur. idemque *Apulum*, *colonia Apulensis*, *municipium Apulense*, *provincia etiam Apulensis* in inscriptionibus lapidum inveniuntur, quas maximam partem Orellius in collectionem suam recepit. situm autem erat *Apulum* ubi hodie *Carlsburgium* est (v. *Katancsichii Istri adcolar. geogr. vet.* 2, 296). sed qui factum sit ut huius potissimum civitatis mentio fieret in *epicedio Drusi*, indagare non potui.

Feci quod antea dixi et sensim progressus sum a certis rebus ad incertas: sed feci ita ut has ab illis distinguere stude- rem nihilque quod difficile esset disputando obtegerem. itaque quae mihi incerta erant ii quorum maior est doctrina atque intelligentia aut refellendo diluant aut adprobent confirmando.